68.2.A.28

DE LATINITATE
falſò ſuſpecta,

Expoſtulatio Henrici Stephani.

Lectori nō metuēda in Lat. metuēti.
Túne pudore taces, quia barbarus eſſe vereris?
Eia, metum & linguam ſolue, Lati[illegible]

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

EIVSDEM
DE PLAVTI LATINI-
tate Diſſertatio, & ad lectionem illius Progymnaſma.



ANNO M. D. LXXVI,
Excudebat Henricus Stephanus.

ORNATISIMO VIRO,

HIERONYMO CASTELLIONAE Lugdunenſis curiæ præſidi.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

HENR. STEPHANVS S. D.

STRENAS ad te has perferendi honorem, vir ornatiſsime, Ianuario Februarius, me inuito multúmque repugnãte, eripuit: ac te non magis hilari vultu à Ianuario quàm à ſe accepturũ eas eſſe, mihi affirmauit. Magnum certè onus illi ereptori incumbit: quippe qui, quodcunque damnum mora hæc attulerit, præſtare teneatur. Meritò enim (meo quidem iudicio) ſi has ſtrenas, quòd alieno tẽpore in manus tuas peruenerint, minus gratas fuiſſe comperiam, præpoſtero vel potius nimis tardo illius obſequio id ferendum eſſe acceptum dicam. Sed abſit vt ego de te quicquam huiuſmodi ominer, ac non potius futurum ſperem vt primùm quidem ea qua omnes literarios aliorum labores complecteris humanitas eum tibi commẽdet: deinde verò nouitas,

quæ multarum eſt rerum commendatrix, aliquid inſuper tui fauoris emereatur. Neque tamen huius argumenti nouitas tantùm, ſed etiam quæ eius tractationi ineſt vtilitas, me bona ſpe (vt Cæſar loquebatur) complet. Quãuis enim à pleriſque hoc argumẽtum multo, à me quoque ipſo, ſi non multo at certè aliquanto melius tractari potuerit (nimirum ſi typographicæ & variæ quæ has comitantur domeſticæ occupationes, atque aliæ longè ab hac diuerſæ ſcriptiones iſtam fraudare horis illi debitis non me coegiſſent) eius tamẽ quæ ex iſto meo labore percipi poteſt vtilitatis nequaquam me pœnitet. Quæ enim hîc obſeruanda propoſui, ſatis eſſe queunt ad patefaciendas plurimis varias Latini ſermonis opes quæ ad hunc vſque diem illos latuerunt: hæc pleroſque immenſo propemodum, & vano tamen interdum (quod moleſtiam illam multo moleſtiorem reddit) voluendi multos libros labore leuare poſſunt: hæc denique lecta facient (niſi me animus fallit) vt plurimi mutis & elinguibus, in iis quæ ad Latinitatem pertinent, ſimiles eſſe deſinãt, & linguam vano quodam metu antea præpeditam ad varios ſermones Latinos ſoluere incipiant. ideóque à multis initurum me gratiam confido. Ab

altera tamen parte oculis meis illud ingratorum hominum genus obuerſatur, quod nihil ex quoquã didiciſſe, nihil ex vllius noui libri lectione profeciſſe vult videri. Verùm vt ego huiuſmodi homines nihil moror, ita illos vt vicisſim nihil mea ſcripta morentur rogo: quinetiam quàm lubenter ego tibi huius mei libri non vſum fructum ſolùm ſed poſſesſionem etiam dono, tam libenter illis qui omnino alio quàm tu præditi ſunt ingenio (id eſt, minimè ingenuo & liberali) eum è manibus, ſi liceat, extorſerim.

Neque verò nullum mihi ab obtrectatione & calumnia imminere periculum video. Ecce (garrient plerique ex eorum numero qui non argumentum aliquod tractando, ſed literariis aliorũ laboribus obtrectando, eruditionis famam aucupantur) cuius pater tam bene de Latinitate meritus eſt, is barbariei ianuam aperit: is cur aliqui barbariei paulatim frena laxẽt, in cauſa erit. Sed hanc calumniam ſi effugere in præſenti non poſſum, at certè intra menſes aliquot (Deo fauente) obteret ac contundet alter meus liber, qui ſe vicisſim nimiæ quorundam in Latinè loquendo licentiæ opponet, variũ Latinæ linguæ abuſum deſcribens.

Abſit verò, abſit vt vel aſpergat vlla huiuſmodi ſuſpicione, qua manes paternos lædam,& vel minimã vlli ad barbariem,in qua ille profligãda adeo deſudauit, feneſtrã patefaciã.Sed ne patri quidẽ meo religioſam illam vel potius ſuperſtitioſam Latinitatem placuiſſe fateor,quam qui ſectãtur (plerique ſaltem ex iis) verius Nizoliani quàm Ciceroniani vocentur: quum Latinitatis Ciceronianæ velut diſpẽſatorem Nizolium habeant, & præclarè ſecum agi putent ſi demenſum ab eo ſuum accipiãt. Libet enim ita loqui de illis qui ex Nizolii obſeruationibus ita pendent vt ne latum quidem vnguem ab ipſis diſcedere audeant. Neque verò mirũ tibi videri debet quòd demenſi appellatione tanquam de ſeruis vtar,quum reuera durum ſeruitutis iugũ linguæ illorũ imponat Nizolius.

Verùm ex iis etiam qui linguam ſuam Latinitati Ciceronis non mancip
arũt, ſed ingenuam libertatem illi aliorum quorũdam ſcriptorum verbis vtendi relinquunt, permulti omnia tuta (vt exemplis propemodum infinitis hoc in libro oſtendi) timentes,linguæ plura loqui volenti ſilentium plerunque indicunt,& medio in ſermone illam cõprimunt,vt Plautino verbo vtar.Vt enim(aiunt)verbis nos Ciceronianis aſtringere,ita vicisſim tantum licentiæ

nobis permittere nolumus, vt ex quolibet ſcriptore verba corrogemus, quibus ſenſa mentis explicare poſsimus. Atque hîc magnam & difficilem de illis ſcriptoribus quorum Latinitatem, ſecundum Ciceronianam, ſequi liceat, oriri quæſtionem videmus. Hæc autem mihi in memoriam reuocat quod à Plutarcho de illis ſcribitur qui antequam vel cum vno firmam ſolidámque amicitiã cõtrahere potuerint, de cõtrahenda cũ multis ſoliciti eſſe incipiũt. Ita enim pleriq; ex iis qui diſputant quorũ ſcriptorum Latinitatem Ciceronianæ velut ſubſidiariam adiungere liceat, nõdum vel decimæ partis eorum quæ in illa reperiũtur, notitiam habent. Hoc certè & multis loquendi generibus ex illo ſcriptore petitis teſtatus ſum in hoc tractatu, & multo pluribus teſtari potuiſſem. Mirum verò quiddam nobis, qui Galli ſumus, ſicut & Italis, vſuuenit, vt magna ſermonis noſtri cum Latino in pleriſque affinitas, quã nobis Latinè loqui volentibus velut præire oporteret, contrà reſiſtere ſæpenumero in medio ſermone cogat, dum affinitatem illam ſuſpectam habemus. Quotuſquiſque enim eſt (exẽpli gratia) qui Reddere *ſpiritũ*, pro eo ipſo quod dicimus Rendre *l'eſprit*, non Latinum tantùm ſed Romanum etiã

atque adeò Cceronianum eſſe ſit crediturus? Hoc tamen loquendi genere nõ minus Ciceronẽ quàm Liuium vti videmus. Quinetiam ea quæ noſtro ſermoni cũ Græco in multis vocabulis, quæ Latini itidẽ vſurparunt, eſt ſimilitudo, quum nobis velut dux eſſe debeat, dubitationem potius qua retardamur, afferre ſolet. Multi enim ſunt qui pro his Gallicis, *Appliquer un emplaſtre ou un cataplaſme à l'eſtomach*, non auſint dicere, *Applicare emplaſtrũ uel cataplaſma ſtomacho*: quum tamen ne ipſe quidem Cicero aptiores ad rem illam exprimendã voces inuenturus, ac ne quæſiturus quidem fortaſſe fuerit. Sic profectò alia pleraq; apud Cornelium Celſum & Plinium legũtur, quæ ſi tractãda Ciceroni fuiſſent, ſermonẽ Cornelianum & Plinianum, Ciceronianum quoq; eſſe videremus. Sic etiã multa Liuio deſcribenda fuerunt, quæ ſi Ciceronem quoque deſcribere oportuiſſet, ea verba & loquendi genera quæ tantùm Liuiana vocantur, Ciceroniana quoque vocarentur: quum tamen eorum ne veſtigium quidem in iis qui extant Ciceronis libris appareat.

Multis (ſat ſcio) paradoxa loqui videbor: ſed à te, vir ornatiſsime, qui acri iudicio es præditus, vera (ni fallor) loqui exiſtimabor. Multorũ equidẽ me miſeret,

quos, dũ illa ſuperſtitione(ſi ita vocare licet)laborãt, inopia etiã Latinæ linguæ in multisquæ in quotidianũ ſermonẽ incidũt rebus laborare neceſſe eſt. Quũ autẽ Plautum ſcriptorem eſſe talem ſcirem, vt præ quouis alio copioſos ex inopibus reddere poſsit, breuem de Latinitate illius diſſertationem, necnon quoddam ad lectionem eius progymnaſma ſubiungere huic libro placuit: donec fuſius eadem tractandi, & varia etiam noſtra loquendi genera Plautinis reddendi ſpatium detur.

Sed audi obſecro valde paradoxam de Latini ſermonis vſu ſententiam Ioachimi Fortii, *Etiãſi* (inquit) *natura facũdus es, dedita opera loquaris incompoſitè. Nam ferè fit ut qui loquuntur accuratè, minus eruditè ſcribãt. Dum enim rerum illarum uoluptate afficiuntur, imperfectiores oportet ſint in altero.* De hac autem illius ſententia antea mihi inaudita, (quanuis aliquando illius opuſcula in manibus habuiſſem) conſuluit me Viennæ Auſtriæ nõ ita pridẽ generoſus quidã adoleſcẽs. Ego me de illa ita ſentire vt omnino diſſentirem reſpondi: & non minus abſurdè hoc dictum mihi videri, quàm ſiquis ſatius eſſe diceret inexercitatum omnino, quàm in leuibus ſaltem pugnæ ſimulacris verſatum, ad prælium accedere. Deinde cùm alia exempla, tum verò inſigne, quod

in promptu erat, hoſpitis mei, oppoſui. Quũ enim me hoſpitio excepiſſet vir clariſſimus, Ioannes Crato, Cæſaris cõſiliarius, & qui primum inter medicos eius locum à multis iam annis tenet: Nónne vides (dixi) hunc meũ hoſpitẽ & accurato ſermone in colloquiis familiaribus vti, & tamen eruditè tam multas quotidie literas ſcribere? Imò verò tantum abeſt vt familiaris ille ſermo tam accuratus obſtet ei quominus eruditè ſcribat, vt tam expedita taliũ literarum ſcriptio illi potiſsimum ſermoni accepta ferenda ſit. Fortaſsis autem obiiciet mihi quiſpiam, vix decimum quenq; eorum Italorum qui Latinè ſcribere norint, Latino ſermone accurato in familiari colloquio poſſe vti. Ego verò hanc ita ſe rem habere fateor, & me per aliquot annos oculatum eius teſtem, Romæ, Neapoli, Florentiæ, Bononiæ, Venetiis, fuiſſe dico. quinetiam addo, ridiculum multis linguæ Latinæ in quotidiano congreſſu vſum videri, tum quoque quum illis cum aliquo peregrino eſt negotium, quocum nullum alius linguæ eſſe commercium poteſt: perinde acſi Latinam linguam ad ſcribẽdum, non item ad loquendum diſcerent. Sed quomodo hæc res pro Ioachimo Fortio facit? quomodo ſententiam eius confirmat? Neque enim quo minus accuratè lo-

quuntur, eo eruditius, ſed eo certè laborioſius ſcribunt: ſi quidem accurato in iis quæ ſcribunt ſermone vti velint. Potius igitur contrarium dare nobis conſilium debuit Fortius, & ne vnquam Latino ſermone niſi quàm fieri poſſet accuratiſsimo vteremur vetare.

Spero autem fore vt multos meum iſtud opuſculum ad Latinè frequentius & loquendum & ſcribendum incitet, quum eorum quæ ſuſpecta prius habebant (vt certè illam ipſam vocem *Strenæ* à qua hanc epiſtolam inchoaui, apud multos in barbariei ſuſpicionem immeritò venire ſcio) pleraque elegantia etiam eſſe comperient. Sed caueant interim ne fines à me præſcriptos excedant, atque ex nimium timidis audaces, ex ſuperſtitioſis irreligioſi circa linguæ Latinæ vſum euadãt: ita vt ſumpta ex hoc meo libro occaſione, quicquid in buccam, & loqui & ſcribere audeant, ac tandem culinaria (vt noſtratẽ appellationẽ imiter) vti Latinitate ſibi permittant. Ac de his vt ipſe quoque præmoneas illos in quorum manibus hãc lucubratiunculam inuenies, & omnem à me calumniam propulſes, etiam atq; etiã rogo. Vale. E Grieriana noſtra villa. Id. Febr. Anno 1576.

HENRICI STEPHANI IN SVVM DE LATINItate falſò ſuſpecta librum,

PRAEFATIO.

EORVM *qui, dum religioſi circa Latinæ linguæ uſum eſſe uolunt, in ridiculam quandam ſuperſtitionem incidunt, duo ſunt genera. Alij enim in unius ſcriptoris aut in duorum uel trium Latinitatem ita iurauerunt, ut reliquam omnem eiurauerint: alij uerò ſunt quidẽ Latinitati æquiores quàm ut tã anguſtos ei cancellos circumdent, ac potius dilatari pomœria illius, ut his multo maior ſcriptorũ numerus capi poſſit, patiuntur: ſed memoriæ ſuæ, etiamſi bonæ fidei non ſit, ita confidunt, ut quoties controuerſia de uocabulo quopiã oritur, eius dũtaxat arbitrio ſtare uelint: perinde acſi Latinitas terminis memoriæ illorum circumſcribẽda eſſet. Hinc fit ut multas uoces falſò barbariei ſuſpectas habeant, & dum ciues Romanas eſſe ignorant, non ſolùm ipſa urbe, ſed toto etiã Latio procul in exiliũ pellẽdas cẽſeãt. Sed apud Gallos & Italos in ſuſpicionem illa præſertim uocabula & loquendi genera ueniunt quæ magnam cum uernaculis affinitatem habent: multo*

etiam magis quæ propemodum eadem ſunt. Hos *certè ſiquis cum ijs comparet qui cõtrà quicquid ex uernaculæ linguæ affinitate aut aliũde in huc cum uenerit, pro* Latino *habent, meritò cum* Venuſino *poeta dicet,*

Dũ vitãt ſtulti vitia, in contraria cur-[runt.

Quinetiam hoc eiuſdem poetæ uerſu (ſi ob exiguam immutationem eſſe eius non deſinat) ſuperſtitioſos illos compellare poſſit,

Quàm temerè in voſmet legem ſancitis iniquam.

Qui enim linguæ ſuæ ſilentium indicunt, uideríque elingues malũt quàm ex ijs uocabulis quæ ſuſpecta (ſed immeritò) habent, ullum proferre, nónne in ſe legem iniquam, aut etiam iniquiſſimam, ſancire dicendi ſunt?

Vtinam tamen hoc mali duntaxat ex illa ſuperſtitioſa ignorantia contingeret, ut illi loqui conãtes obmuteſcere ſæpe cogerẽtur. Aliud certè multo grauius ac pernicioſius inde oriri uidemus, ut nimirum ſicut multa uocabula immeritò ſuſpecta illis ſunt, ita etiã pleriq; immerẽtes immerẽtiũ ſcriptorũ loci pro eorũ libidine in partes omnes uerſentur, tãdémq; ita immutẽtur ut ne agnoſci quidẽ à ſuis, ſi reuertantur, poſſint. Eius *quod dico, inſigne apud* Liuiũ *exẽplũ habemus, in eo lib.1, loco ubi nunc legimus,* Hodiéque in legib⁹ magiſtratibúſq; rogandis vſurpatur idem ius vi ademptũ. *Quũ enim* vi adeptũ *ſcripſiſſet, qui participiũ* adeptũ *paſſiua inter-*

dum ſignificatione poni ignorabant, in adēptũ *mutauerãt: at in poſtremis editionibus, creſcēte paulatim mutandi audacia, pro* vi ademptum *ſcriptum fuit* vi adēpta. *Facta uerò eſt & cuidã Ciceronis loco in eadē uoce iniuria, in Catone maiore. Siquidem ubi legimus,* Quo in genere in primis eſt ſenectus, quam vt adipiſcantur omnes optant, eandem accuſant adepti, *ille* adeptã *ſcripſerat. Iampridem enim in uet. exēplari hanc lectionem inueni, cui poſtea omnia quæ Pariſienſi editioni adhibita fuerunt aſſentiri comperi. hoc enim annotationes illi ſubiunctæ teſtantur. Sed qui ſibi in illa editione multa ex cõiectura (proh facinus) innouare permiſerunt, hac in re totueterũ librorum autoritatē ſequi auſi non fuerunt. adeo ſuſpecta illis hæc Latinitas fuit,* eandē accuſant adeptã, *paſſiua ſignificatione. Quidam tamen Naſonis locus, quoniam eius quod ad ſenſum attinebat, difficilis mutatio erat, ſacrilegas taliũ correctorum manus effugit. Illius autem participii mentionem faciens, recordatus ſum & uerbi* magnificare. *nam hoc etiã uerbũ (nimirũ quòd ipſum ſuſpectũ redderet uetus Teſtamenti noui interpres, ubi hæc uerba,* Μεγαλωύει ἡ ψυχή μου τὸν Κύριον, *uertit*, Magnificat anima mea Dominum: *fortaſſis etiam quòd nimis affine eſſet Gallico* Magnifier) *mutatum fuiſſe in magnificere in pleriſq; editionibus, hoc in libro monui. Magnũ certè aliorũ locorũ numerũ afferre potuiſſem, in*

quib⁹ ut itidẽ uerba quæpiã mutarẽtur (& quidẽ cum magna etiã ſenſus in nõnullis immutatione) falsò ſuſpecta Latinitas *in cauſa fuit: ſed eos cõmemorare, ſuã nõnullis audaciã exprobrare eſſet.* Hoc *igitur tãtùm addo, nõ dubium eſſe quin multa etiam uerba* Latina *nobis hac ratione perierint.* In *mentem enim uenit loci cuiuſdã* Liuiani *, qui illi quem modò protuli proximus eſt, paulo ulterius pergendo: ubi auguris uerba auſpicia peragentis recitantur*, Iupiter pater, ſi eſt fas hunc Numã Pompiliũ, cuius ego caput teneo, regẽ Romæ eſſe, vt tua ſigna nobis certa ac clara ſint, inter eos fines quos feci. *Ita enim in typographicis editionibus legitur hic locus (niſi quòd in poſtremis pro* vt *ſcriptum eſt* vti *) quũ tamen* Georgius *Fabricius in* Liuiano *exemplari principis* Mantuani *teſtetur ſcriptum eſſe*, tua nobis ſigna acclaraſsis inter eos fines, *&c. non præcedente uocula* vt, *neque* vti, *quarum utraque ſtructurã orationis æquè impedit, etiamſi altera lectio retineatur.* Equidẽ *&* ex Cicerone *nonnulla* Ciceroniana *uocabula eodem modo expulſa eſſe conſtat.*

Illa *autem uiciſſim libertas uel potius licentia eorũ qui alterã in partẽ peccant (id eſt, qui* Latinè *loqui uolentes, nõ dicam, omnia tuta timent, ſed contrà omnia eſſe tuta, falsò ſibi perſuadent) multis* Latinam *linguã uocabulis olim locupletauit: ſi modò barbaræ uoces* Latinitatem *locupletare poſſunt.* Sic *enim* capitulũ *olim in quendã*

Ciceronis locum irrepſiſſe meus hic liber alicubi docet. Quinetiã uox cõplices pro eo ipſo quod à nobis dicitur cõplices (diuerſa tantùm pronunciatione literæ c) in aliũ eiuſdẽ locum intruſa fuit. Quid quòd facetoſus, nõ minus quàm facetus, cum bona ipſius etiã Nizolij uenia, Ciceronianè dicere licebit? Eadem certè illa licẽtia multa loquendi genera parum Latina Latinis immuſcuit: ex quibus eſſe puto quod ante triduũ apud Aulũ Gellium (quem nunc uocant Agelliũ) legebã, lib. 1, cap. 8, Neque admittebatur niſi qui dabat quod popoſcerat. poſcebat autẽ illa nimiã quantitatẽ. Hîc enim quũ meũ uetere librũ conſuluiſſem, nimiũ quantũ legendũ eſſe reſpõdit. Statim autẽ cogitare cœpi, ſcriptorẽ hunc, qui modò ἀρχαΐζει, modò ἑλληνίζει, dixiſſe ἑλληνικῶς nimium quantũ, eo modo quo Græci θαυμαστὸν ὅσον. quod ex Latinis quidã imitantes dixerunt mirũ quantũ. Verùm quoniã mihi cum hoc genere hominum negotiũ in iſto tractatu non eſt, ſed cum altero illo, miſſum hoc faciã, & ad illud reuertens, pauca hæc addam: me neſciũ non fuiſſe, multos in iis quæ ad Latinitatẽ pertinent uanos ſcrupulos animis multorum Nizolium (quoſdã & Laurentium Vallam, uirum alioqui de Latina lingua optimè meritũ) inieciſſe: ſed eos à me una eadémq; opera eximi nõ potuiſſe, & lectorem ut quæ præſtiti boni conſulat rogare.

DE LATINITATE falſò ſuſpecta;

EXPOSTVLATIO præparatoria Henrici Stephani.

De uocabulis falsò ſuſpectis, quæ ad eam orationis pertinent partem, quam grammatici Nomen appellant: CAP. I.

VT AD opus ſuſceptum aggrediar, & multorum mentes illa quam dixi religione,vel potius ſuperſtitione, linguáſq; vano metu quo præpediuntur,ſoluere incipiam, illi orationis parti quam grãmatici prima ſede dignati ſunt,primum itidem locum dabo. Quum enim eam tenere viam ſtatuerim (quòd eam ſequi rationi conſentaneum eſſe videatur)vt antequam ad loquendi genera veniam,plurima vocabula,nudê,vt ita dicam,poſita,ſeu ſeorſim(id eſt,nulli loquẽdi generi adhibita)examinanda & cũ Gallicis comparanda proponam; horum autem vocabulorum valde diuerſæ naturæ ſint: in quas potius claſſes ea diſtribuerẽ quàm eas quæ tot grammaticis placue-

runt? Quãuis autem me vocabula nuda,& nulli loquẽdi generi adhibita,prius propoſiturũ dicam,nonnulla tamẽ erunt(prę-ſertímq; vbi ad indeclinabilia ventũ erit) quorum vſus quoniam ſine aliarum vocũ adiectione perſpici non poterit, exempla proferre neceſſe habebo.

Ac quum ſit quædam Latina lingua quę priſca vocata fuit, ea videlicet quam ſcriptores antiqui in vſu habuerunt, ex illorũ autem poſteris vſurparunt ii qui antiquarii appellati ſunt,vt rem à prima origine,& velut ab ipſis Latinitatis incunabulis,repetam,lectores ante omnia admonebo eius quod à me circa priſcam Latinitatem obſeruatum,ad hoc quod tracto argumentũ pertinet:nimirum vocabula nõnulla, quibus vſum ſit ſcriptorum recentium vulgus Latinè loqui ſe exiſtimantium, pro Gallicis potius quàm Latinis haberi, quum tamen ex priſco Latinorum ſermone ſint petita.Quod enim Latini quondam in Græcæ linguæ vſurpatione fecerunt,vt nõnullarũ vocũ quibus priſca Græcia vſa fuiſſet, memoriam propè intermortuam renouarent(veluti quum *Porcum* dixerunt,ex vetuſta Græcorum voce πόρκος: quum *Leporem* ex antiquo illorum vocabulo λέπορις nominarunt: quum *Puteum* dicentes,antiquam

vocem Græcam πύπον repræſentarunt: quũ denique *Græcum* dixerunt, ſicut antiqua Græcia Γραικὸν vocauerat, qui poſtea Ἕλλην fuit nominatus: vt taceam de illis vocabulis quæ ita ex veterum Græcorum appellationibus deduxerunt, vt alium tamẽ vſum illis dederint, ad harum ſignificationem reſpicientes tantummodo, aut etiam alludentes: veluti quum regionem quæ Auſonia vocata fuerat, nominarunt Italiam, à veterum Græcorum voce Ἰταλός, qua bos ſeu vitulus ſignificabatur, (quẽadmodũ in Theſauro meo Græcæ linguæ fuſè docui) quod, inquam, Latini olim in Græca lingua vſurpãda fecerunt, vt nõnullarum vocũ quæ priſcæ Græciæ in vſu fuiſſent, memoriam propè extinctam & intermortuã renouarent, idem Gallos circa Latinam linguam feciſſe dico. Ac quoniam non ſolùm in quibuſdam Nominibus ſed etiam in Verbis, atque adeò in nonnullis loquẽdi generibus exempla huius rei extant, venia mihi danda erit ſi in hac diſſertatione de illis quæ ſumpta ſunt è priſca Latinitate, extra illos cancellos egrediar quos ipſe mihi circumdedi, vbi ordinem quem tenere inſtitui, propoſui. Diſſertatio enim iſta velut præfationis eſt loco. Primum autẽ inter illa exempla locũ dabo nomini *Pau-*

ſa:quod quum inter barbara vulgò numeretur, quia ex Gallico *Pauſe* factum eſſe putatur, Latinũ tamen eſt, ſi modò Ennius, Accius, Lucilius, Plautus, Lucretius, Latinè loquuti, atque adeò boni ſuo ſeculo Latinitatis autores fuiſſe credēdi ſint: è quorum vnoquoque proferre exempla libet. Ennii igitur cùm alii loci extāt, in quibus hoc nomine eſt vſus, tum hic, apud Varronē,— *pauſam facere fremendi.* Accii iſte, — *datur bona pauſa loquendi.* Lucilii autem cum verbo Facere, *Hæc ubi dicta dedit, pauſam facit ore loquendi.* Nec in iis quæ extant Plauti comœdiis eſt infrequens priſcum hoc vocabulum: vnde etiam aliquot exempla proferuntur in Theſauro Latinæ linguæ: ad quem remitterem lectorem, niſi qui illud patris mei opus poſt ipſum excuderũt, illa prætermiſiſſent: tāto in ea re iudicio ſcilicet vtentes, quātum in aliis multis partim omittendis, partim immutandis, necnon in quibuſdam eorum quæ addiderũt, adhibuiſſe videmus. Affertur itaq; in editione paterna ex illius comici Rudēte, *Aliquando oſculando melius eſt, uxor, pauſam fieri.* Vbi repono *oſculandi*, iungens accuſatiuo *pauſam*. Ex eiuſdē Pœnulo, *Quādo idquod ſat erat, ſatis habere noluit, Ego pauſam feci.* Vbi animaduerte iungi verbo *Facere*

(ſicut in proximè præcedente loco dicit *Pauſam fieri*) itidémque in illis Ennii & Lucilii locis. In hac autem conſtructione nobis cum illis veteribus Latinis optimè cõuenit, quum itidem dicamus *Faire pauſe*, vel, *Faire une pauſe*. Verùm vt ab Accio iũgitur alii verbo, dicitúrque, *datur pauſa*, ſic in eiuſdẽ comici Perſa legitur, *Iam iam Pæniũ da pauſam*. Satis exemplorum iam eſt: ſed quoniam lectorem ſatis ſupérque habere volo, & intelligere quãtus fuerit priſcorum Latinorum in vſu vocis huius (quæ tamen vt barbara deſpicatui vulgò habetur) conſenſus, addam & ex Lucretii locis pluribus vnum, vbi cum eodem verbo iungitur: libro 2, de atomis,

Et uelut æterno certamine prælia pugnáſque
Edere, turmatim certantia: nec dare pauſam,
Conciliis & diſſidiis exercita crebris.

Addo autem (quod maiorem pleriſq; admirationem mouere poſsit) verbum *Pauſare*: quod barbarum multo etiam magis illis videatur, & ex Gallico *Pauſer* factum, quum dicitur *Se pauſer*, ex eodẽ illo priſcæ Latinitatis fonte manaſſe. Legimus enim in eiuſdem comici veteris Trinummo, *Pauſa: uiciſti caſtigatorẽ tuum*. Hæc ſunt illa quibus *Pauſa* & *Pauſare* (taceo enim de *Pauſarius*, quo vtitur Seneca) falſò barbariei in-

ſimulari,probare poſſum. Quòd ſi quoſdã imitari vellem qui fidem quibuſuis Dictionariis(vt vulgo vocãtur)obſtringunt, perinde acſi αὐτόπται eſſent,vlterius progrederer,ac compoſitum Repauſare adderem. Legitur enim in illo quod auorum noſtrorum memoria prodiit,& alia ſubinde atq; alia acceſsione locupletatum poſtea fuit: legitur (inquam) in primis illius editionibus, *Pauſo, quieſco. à quo Repauſo, quòd eſt Rurſus requiem capio.* At ego exemplũ aliquod vſus huius etiã cõpoſiti deſidero: & fruſtra quidẽ à me deſiderari, ac non aliunde id quàm è Gallico *Repauſer* (pro quo perperam pronuntiatur *Repoſer*) ſumptũ eſſe exiſtimo. Quemadmodum autem iis quæ falſò barbariei accuſantur, patrocinor, ita eorũ quæ verè barbara ſunt,accuſatorẽ eſſe me potius quàm defẽſorẽ velle profiteor.

Enimuero quum Gallicam linguã plurima ſumpſiſſe videamus è Græca,quorum ne veſtigia quidem vlla ſint apud Latinos, aliquid ſcrupuli poſsit hîc iniici, ne Galli nomen Pauſa & verbum ab eo deductum Pauſare à Græcis ipſimet mutuati ſint è verbo illorum παύσασθαι, non per manus Latinorum habuerint. Ego, quanuis noſtros ex horum riuo potius quàm ex illorũ fonte hauſiſſe putem, afferam tamen quod

alteram confirmare poſſe ſententiam videtur. Id eſt noſtrum *Pai*, quod itidem ex Græco παῦε manaſſe ſuſpicor. Atque vt geminare hoc verbum ſolemus quum ſilentium indicimus, pronuntiantes *Pai, pai*: ſic etiam παῦε παῦε paſsim apud Ariſtophanē legitur: actiua voce, verùm non itidem ſignificatione. Scio alioqui vulgo credi perinde ſonare illas noſtras voculas acſi diceretur Pax, pax: & pronuntiari *Pai* pro *Paix*, ſiue *Pais* (aut quocunque modo exprimēdus eſt lenis ille ſibilus quem diphthongo illi *ai* addimus) verùm cur potius vocē quæ pacem ſignificat, à Latinis, quàm eám quæ eundē omnino vſum habet, à Græcis mutuari dicamur? quum alia infinita, quæ ab illis ſumpta eſſe negare nemo poteſt, in ſermone noſtro extent, & alibi eadem illa dipthongi αυ in dipthongum αι mutatio reperiatur? Obiter autem & hoc addam, placere mihi vt Latinum illud *Pax* à παῦσαι deducatur, non autem à *Paciſci*, ſeu à *Pactione*, quod nomen ex verbo illo factum eſt, atq; adeò illius eſt verbale. Prius enim *Pacis* appellationem in vſu fuiſſe, & inde verbum *Paciſci* deductum eſſe, magis mihi ſit veriſimile, atque aliis itidem fiet, vt opinor, qui ſimiles in aliis vocabulis deductiones conſiderauerint.

Non minus autem nouum videatur pleriſque vocabulum *Inciens*: nec minori ab illis excipiatur riſu qui *Incientẽ fœminam* vocauerit, quã Gallica lingua illud imitans, appellat, *Vne féme enceinte*: quàm qui illud *Pauſa* pro Gallico *Pauſe* dixerit. Atqui nouum illis videatur quod longè antiquiſsimum eſt. Expectandum autem lectori nõ eſt vt quod in illo primo vocabulo *Pauſa* feci, ad probãdum illius vſum, in hoc quoque & in cæteris omnibus faciam. Mihi enim ſatis eſt in primo velut ſpecimen meæ ἀξιοπιστίας dediſſe: quoniam, præterquam quòd breuitati ſtudeo, iis qui iſta ſciendi cupidi erunt, aliquem inueſtigationis laborem, quò melius ea memoriæ inſigant, relinquendum eſſe puto.

Ex priſca Latinitate ſumptum eſt itidẽ *Capitium* ſeu *Caputium*, quod tamen habitum itidem fuit barbarum, hodiéq; à pleriſque habetur, quoniam apud eos inuenitur quorũ ſermo barbarie eſt inquinatus: perinde videlicet acſi è Gallico *Capuchon* factum eſſet. *Tinam* & *Cupã*, quæ priſcorũ itidem Latinorum ſunt vocabula, potius è Gallicis *Tine* & *Coupe* multi βαρβαροπιστημία exiſtiment. Nec credant plerique *Cotam* noſtram eſſe veterum Latinorũ (prius autem Græcorum) *Crocotam ueſtem*, aut ſaltẽ

appellationem illam ex hac eſſe oriũdam.
Vt autẽ abſciſſa fuit à nobis ſyllaba principio Latinæ vocis, ſic in quibuſdam aliis præfixa, & quidem earum etiam quæ ex antiqua Latinitate ſunt petitæ: veluti in nomine *Recor.* ita enim nonnullis in locis *Cordum* fœnum vocatur, ſiue *Chordum*, vt aliis ſcribere placet.

Vocabulum quoque *Carpentarius* ex iis eſt quæ nequaquam ſuſpicione illa non tantùm apud vulgus, ſed apud multos etiã qui è vulgo non ſunt, carere poſsint: præſertímque Gallicæ vocis ſimilitudo hîc quoque illis talem ſuſpicionem moueat.

A *Carpentarij* appellatione nõ eſt aliena *Martuli* appellatio, ſi quoduis mallei genus hac declarari velimus: ſed an itidẽ Latinitati priſcæ adſcribendũ ſit hoc vocabulum, dubium eſſe poteſt. Vtcunque autem ſit, credibile eſt alteram ſcripturam *Marculus* magis placuiſſe, quòd vocabuli *Martulus* cum Gallica *Martel*, ſiue *Marteau*, conuenientia, ſuſpectum illud redderet.

Limacem etiam, tanquam minimè Latinum, ſed è noſtro *Limacon* factum, multi reiiciendum eſſe contenderint. Verùm an rectè illa quoque vox inter priſcas numeretur, alii viderint. Et quoniam limacis, tanquam rus egreſſus, mentionem feci, an-

tequā inde abeo, addere libet falſā de *Cremor* itidem ſuſpicionē pro noſtro *Creme*, de lacte, necnō de *Iunix*, pro noſtro *Ieniſſe*.

Auribus honorem præfabor antequam ad nomen illud veniam, quod ſuperioribus addendum eſſe, & vel præcipuum in hac claſſe locum mereri dico. Id enim eſt *Foria*, quod in liquidi ſtercoris ſignificatione, vetuſtæ Latinitatis eſt. Atqui quotuſquiſque illorum qui ſe Latinæ linguæ peritos eſſe profitentur, hoc nomen Latio non excludat, atque ſumptum è Gallico *Foire* eſſe dicat? Et quoniam honorem auribus ſum præfatus, vlterius pergere mihi licere putans, addam, mihi dubium nō eſſe quin *Forire* itidem dici queat pro *Foirer*: vel potius quin eodem illo priſco tempore dictū fuerit, quum inueniatur compoſitum *Conforire*, omnino talem vſum habens qualem habet *Concacare* ex *Cacare* factum. eodem enim modo *Conforire aliquem* dixerūt. Sed & *Foriolus* pro noſtro *Foireux* inuenitur.

De *Bulga* autē, voce Latinogallica, vel potius Gallicolatina, dicā ad finē huius capitis, vbi & alia vocabula quæ Latini olim à noſtris maiorib⁹ ſūpſerūt, cōmemorabo.

Quid quòd ne *Caballus* quidem locum vllum in Latinitate, multorum iudicio, inuenire poterit? Nimirum quòd hoc vo-

cabulum Gallicam vel potius Italicam ſiue Hiſpanicam originem olere videatur. Minorem quidem certè ab illo nomine *Caballus* in Italica & Hiſpanica lingua immutationem eſſe fateor, ſed tamen nobis per manus illorum traditum eſſe pernego: quum in aliis quibuſdam vocibus è Latinitate ſumptis litera A ita in E mutata cõperiatur, & hæc aſpirationis præfixio in quamplurimis ſpectetur. Verùm hoc addo, in illorum ipſorum gratiam quibus Latinum illud nomen omnino peregrinitatis ſuſpectum fore dixi, eſſe veterum Latinorum appellationem *Caballus*, ſed eorũ quoque poſteris vſitatam: ſic tamen vt nos illorum potius quàm horum vſum ſequamur, quum quemlibet equum voce noſtra quæ inde eſt deducta, non autem πονηρὸν ἵππον ſeu πονηρὸν ἱππάριον (vt Xenophon loquitur) ſignificemus.

Vt verò non Nominum tantùm ſed Verborum etiam exempla proferam, verbum *Batuere* ſi in medium prodeat, non dubiũ eſt quin illi eandẽ quamplurimi iniuriam ſint facturi: Gallica voce ſtultam ſuſpicionem hîc quoque iniiciente.

Reuenire etiam, quod priſcæ itidem eſt Latinorum linguæ (licet Cicero quoque hoc vſus ſit) vt inter illa quæ falſò ſuſpecta

ſunt,ponam, facit quod in præfatione dixi, nimirum huius verbi vſum, tanquam barbari, à viro alioqui doctiſsimo (cuius nomini ſimul & honori parco) fuiſſe reprehēſum. Suſpicionem verò hîc quoque noſtra lingua mouet, aut ſaltem auget, quæ dicit *Reuenir*: quaſi verò illud ex hoc effectum ſit.

Grandire autem ſi multi inter Latina vocabula recipere nolint,(Plautum eo vſum eſſe ignorantes)minimè mirabor,quum & nominis *Grandis* multos vſus ſuſpectos ipſis eſſe ſciam,ob eam quæ in illis eſt cum Gallico ſermone conuenientiam.

Quid ſi *Diſpendere* quis pro *Impendere* dicat,ánnon à plurimis irrideatur? & tamen non aliunde Gallos ſuum *Deſpendre* ſumpſiſſe,manifeſtū eſt:& hāc eſſe verbi *Diſpendere* ſignificationem ſi non aliunde, certè ex nomine *Diſpendium*,quod ex illo eſt factum,probari poſſet.

SED IAM ad aliud Latinitatis priſcæ falſò ſuſpectæ genus venire libet, quæ nimirum non tam in vocabulis quàm in eorum ſignificatione verſatur. id eſt, in qua de vocabulis agendum eſt quæ minimè ſuſpecta ſunt,niſi in certa quadam ſignificatione: & priſcæ Latinitati minimè peculiaria fuerunt, quum tamen illa ſignifica-

tio peculiaris illis fuerit. Exemplum inſigne habemus in nomine *Homo*, quo nullũ magis è medio petitum, nullũ magis omni Latinæ linguæ ætati vſitatum inuenitur, ideóq; nulli niſi inſano ſuſpectum eſſe poteſt: ſed ecce ſignificationem, quam ſiquis hodie in loquendo ſcribendóve imitetur, vix auditorum aut lectorum ſexageſimus quiſque riſum contineat, atque vt Latinã admittat. Quænam igitur ea eſt? Quam in ſermone noſtro habemus, quum quis dicit, *Mon homme*, ſignificare famulum ſuum volens, aut generalius cum cuius opera in re quapiam vtitur. Quàm pauci enim ſunt quorum aures dicentem hac in ſignificatione *Homo meus* ferre poſſint? quàm pauci ſunt qui non clamaturi ſint, pudorem non ex oculis ſed ex lingua eius periiſſe qui ita loquatur? Atqui ſic Latinitas priſca loquuta eſſe comperitur. quid tamen inde exemplum proferre neceſſe fuerit, quum ex Cicerone illam hac etiam in re imitato peti poſſit? Ita igitur ille in oratione pro P. Quintio, *Hominem P. Quintij deprehendis in publico, conaris abducere: nõ patitur Alphenus: ui tibi adimit, curat ut domum reducatur.* Minori admiratione excipiatur alius quidam huius nominis *Homo* vſus, qui tamẽ dignus & ipſe eſt qui annotetur. De eo loquor qui

conuenit cum iſto Gallico, *I'ay parlé à l'hõme*. Dixeris enim itidem Latinè, *Alloquutus ſum hominem*: de illo videlicet de quo mentio eſt, vel fuit: ſiue de quo agitur, aut de quo antea actum inter nos fuit. Sunt autẽ huius vſus exẽpla multo quàm illius frequẽtiora. Vix ſine piaculo & tertiũ quendã huius vocis vſum prætermiſerim, quem nouitatis accuſarẽt ſtatim plurimi: quũ tamen longè ſit vetuſtiſsimus. Imò quis nominis iſtius eſſe vſus dicendus eſt, vbi potius ornatus cauſa ponitur? Quemadmodum enim à nobis dicitur *Vn ieune homme*, ſic priſcos Latinos *Iuuenis homo* & *Homo adoleſcens* vel *adoleſcentulus* dixiſſe aio. Plautus Bacchidibus,

Quid ego metuã rogitas? homo adoleſcentulus
Penetrare huiuſmodi in palæſtrã ubi damnis deſudaſcitur.

Aliquanto pòſt,

—Quia iſtoc illecebroſius
Fieri nihil poteſt, nox, mulier, uinum, homini adoleſcentulo.

Siquis hodie vxorem ſuam vocaret partem ſuam, is à quamplurimis non alium quàm Gallicum ſermonem ſequi crederetur: at ecce hîc quoque eiuſdem comici locũ ex Menæchmis, in quo ita loquitur, *Satur nunc loquitur de me & de parte mea.*

Apud eundem comicum nominis *bonus* quidā vſus inueniuntur qui profectò multis qui in locos illos non inciderint, non minus ſuſpecti eſſe poſsunt quàm pleraq; ex ſuperioribus. Vnus ex illis eſt, quum dicit *Habere bonum animum*, pro eo quod dicere ſolemus, *Auoir bon courage*: & Græci eodem planè modo, ἔχειν θυμὸν ἀγαθόν. ita vt minimè dubium ſit quin ſicut nos veteres Latinæ linguæ comicos in hoc loquendi genere imitati ſumus, ita hi Græcos in ipſo imitati eſſent. Extat apud eundem *Bona pax*, ita dictum vt vulgo vtimur illo adiectiuo cum hoc ſubſtātiuo: quum dicimus *Viure en bonne paix*. Iam verò & *Bona uerba* ſic dicuntur ab eo pro lenibus verbis, vt à nobis *Bonnes paroles*, pro *Douces paroles*. Addam verò, & *Bonum furem* dici eo ſenſu quo Gallicè *Bon larron*, pro perito ſuæ artis furandi. Sic Catullus, *O furum optime bal neariorum*.

Eiuſdem Latinitatis priſcæ, & quidem Plautinæ, eſt vſus quidam verbi *Durare*, qui contrà apud pauciſsimos ſuſpicionem malæ Latinitatis, & Gallicam linguam ſequentis, vitare poſsit. Dicit enim ille comicus, *Nequeo durare in ædibus*, eodem planè modo quo Gallicè diceremus, *Ie ne puis durer en la maiſon*.

Nonnulla etiam verba, quæ alioqui ſunt itidẽ vſitatiſsima & modo non vulgaria, quibuſdam in locis aliquem antiquum vſum habent, qui ſuſpectus, tanquam è ſermone noſtro profectus, eſſe poſsit. vt *Monſtrare alicui*, apud eundem comicum, ſine ſubſtantiui adiectione, ita dictum vt Gallicè *Monſtrer à quelcun*, pro Tradere doctrinam aliquam: in Bacchid. Act. 1, ſcena 2,

Iam perdidiſti te atque me, atq; operã meã,
Qui tibi nequicquam ſæpe monſtraui bene.

Nã Piſtoclerus cui hoc dicitur, reſpõdet,

Ibidem ego meam operam perdidi ubi tu tuam.
Tua diſciplina nec mihi prodeſt nec tibi.

QVOD SI & ad cõſtructiones veniẽdum ſit, inuenientur nonnullæ apud illos veteres Latinos quæ non ſolùm ſuſpectæ ſint, ſed vt apertè barbaræ à pleriſque reiiciantur. Cuiuſmodi eſt ſiquis dicat *Difficile ad credendum*, ſicut Gallicè dicitur *Difficile à croire*. & tamen ita loqui videmus Lucretium, lib. 2,

Sed neq; tam facilis res ulla eſt, quin ea primùm
Difficilis magis ad credendũ conſtet.

Atque huiuſmodi eſt hic archaiſmus quẽ ne Cicero quidem refugerit: quum apud eum legamus itidem *Difficile ad eloquendũ*, & *Perdifficilis res ad iudicandum*. Ita vt qui dicit, Difficile dictu, vel factu, rectè loquatur:

tur: ſed nec is Latinitatem offendat qui ſermonem Gallicum pro duce habẽs, hac ſermonis forma vtatur, *Difficile ad dicendũ, Difficile ad faciendum.*

Quid ſi verò aliquis, Gallicum ſermonẽ ſequens itidem, *Magna mira* dicat vt *Grandes merueilles* dicere ſolemus? quotuſquiſq; ex illis qui ſe Latinæ linguæ non imperitos arbitrantur, hanc orationis ſtructuram admitti poſſe credat? At Plautus ſe, quum ita locis aliquot loqueretur, Latinè loquutũ eſſe cõtendet: itidémque quum *Nimia mira* diceret. Sed de his, & aliis quæ huc faciũt, fuſius diſſeram vbi de loquendi generibus agam.

Iocus eſt Gallicus de eo cui brachia in anſarum modum ad latera ſunt applicata, (quod faciunt nonnulli quũ aliqua re exultant, aut quum de ſe magnificentius quàm de circumſtantibus ſentiunt: præſertímq; vbi accedit illa velitatio quæ fit verbis, ſeu labris, vt Afranius loquutus eſt) *Il fait le pot à deux anſes.* Quis hîc Latinas itidem anſas locum habere credat? Habent tamen apud eundem comicum, ſi quidem in voce Anſatus ineſſe anſarum ſignificationem fateamur. Hoc enim vocat *Anſatum incedere:* pro eodem dicens etiã *Subnixis alis ſe inferre.* Quũ enim in Perſa dixiſſet Sagariſtio,

Subnixis aliis me inferam, atque amicibor glorioſe,

interrogat Toxilus, alter ſeruus,

Sed quis hîc anſatus ambulat?

Pro ſermonis autem huius velut corollario, hoc addam, nos Latinitatem priſcã ſequutos videri poſſe, alicubi etiã vbi præpoſterum alioqui Latinæ voci vſum dediſſe exiſtimamur (quod tamen nonnullis in vocabulis verum eſſe fateor) aut certè parum conuenientem. Coniecturã autem ex voce *Hoſtis* facio, ex qua nos mutuati ſumus noſtrum *Hoſte*, quod tamen hoſpitem ſonat. Quum enim *Hoſte* vtramque nominis hoſpes ſignificationem habeat, id eſt, non minus τὸν ξένον quàm τὸν ξενοδόχον declaret, non omnino abſimile vero eſſe dico, noſtros maiores ſuum *Hoſte* ab illo *Hoſtis* deducentes, ad antiquam illam huius nominis *Hoſtis* ſignificationem reſpexiſſe, qua pro peregrino accipiebatur. *Hoſtis enim apud maiores noſtros* (inquit Cic. De off. lib. primo) *is dicebatur, quem nunc peregrinum dicimus*. Nec verò hoc obſtat quòd peregrinum alia potius quàm illa voce appellamus: quum nihilominus ſoleant eſſe peregrini qui hoſpitio excipiũtur: vnde fit vt in ſermone Græco vna eadémque ſit peregrini & hoſpitis appellatio. Sed quid de Græ-

cis loquor,quum ipſi Latini hoſpitem pro peregrino dixerint?Exempla autē,ſi obuia non eſſent,proferrem.

CAPITIS PRIMI PARS SECVNDA.

A LATINITATE priſca veniam ad illam quæ hanc excepit,& velut medio inter priſcā & nouam ſeculo floruit: ac variis exemplis multa in illa reperiri oſtendam quæ tamen pleriſque ſuſpecta ſint. Primum autem huic orationis parti locū tribuens quā grammatici, non Latini ſolùm ſed etiam Græci,prima ſede dignati ſunt, id eſt Nomini,hos in eo etiā ſequar, quòd ſubſtantiua(quæ vocāt)ab adiectiuis ſeparabo,& de illis prius agam.Sed quænā vtrobique prima vel vltima ponam? Hoc certè quum difficile ſit ſtatuere, quem ordinem teneam non valde laborabo, ſed partim meam memoriā pro duce ſequar, partim in certas claſſes vocabula de quibus agendum mihi eſt,digeram.Neque tamen eſt quòd lector à me omnia quæ huc pertinent,aut plenam in illis quas dixi claſſibus enumerationem(quum extemporalis ſit hæc ſcriptio) expectet : ſed contentum eſſe velim iis quæ illi ad reliquorum inueſtigationem iter patefacient.

Nominis PARS mirum quędam vſum, & qui multis alioqui ſuſpectus fuiſſet, tanquam è Gallica lingua profectus, ex antiqua Latinitate paulo antè protuli: nunc verò aliquas eiuſdem nominis ſignificationes, Latinæ linguæ quæ illam ſequuta eſt vſitatas, & à Gallica itidem vſurpatas, proferam. Vt igitur de fœmina illic dicitur iſtud vocabulum, pro vxore nimirum poſitũ: ſic in alia ſignificatione à Latinis, ſicut à noſtratibus, tam de viro quàm de fœmina vſurpatur: quum aduerſarium vel aduerſariam declarare volentes, dicunt, *Pars aduerſa*, vt nos *La partie aduerſe.* Quàm ſæpe autem contingat vt coniuncta hæc ſint, id eſt, vt vna eadémq; mulier, & *Pars* illa Plautina appellatione, & ſimul *Pars aduerſa* vocari poſsit (quorum alioqui vnum alteri per imprudẽtiam ſubiunxi) ipſiuſmet Plauti comœdias interrogandas cenſeo. At *Partem corporis* Latinè dici vt à nobis *Vne partie du corps*, pro membro, notius eſt fortaſſe quàm vt addendũ ſit. Minus eſſe notum puto *Partem pudibundam* ſic Latinè dici, vt Gallicè, *La partie honteuſe.* Neque hoc prætermittendum, vt illa pars à nobis ſine adiectione vocatur interdum *Le membre*: ſic etiam à Latinis *Membrum.* vnde & *Membroſus.* Quinetiam quos ὄρχεις vocant

Græci, qua ratione *Teſticulos* & *Teſtes* vocant Latini (quòd virilitatem teſtentur: quaſi quis dicat, *Teſtes uirilitatis*) eadem omnino à nobis appellari *Teſmoins*, vocabulo quod Latino illi ſignificatione omnino reſpondet. In muliere autem vt honeſtè dicitur *Natura* (ab ipſo etiam Cicerone) ſic à nobis *La nature*. Interim tamẽ perperam (nam de hoc lectorem monere libet) hic Lucretij affertur locus, in exemplum huius ſignificationis nominis *Naturæ*: ex lib.2,

Nam quòd rara uides magis eſſe animalia quædam,
Fœcundámque minus naturam cernis in illis:
At regione locóque alio, terríſque remotis
Multa licet genere eſſe in eo, numerúmque repleri.

Quid enim obſtat (obſecro) quominus vulgarem ſignificationem retineat *naturæ*, quã & in tot aliis illius poetæ locis habet? Vocant etiam *Naturalia* Celſus & Columella: *Naturale* item ſingulari numero ex illo affertur. Atque hanc appellationem honeſtam vt Latini Gallos, ſic Græci Latinos docuerunt. hac enim ſignificatione φύσιν illos dixiſſe, in meo Theſauro Græcæ linguæ docui.

Si autem & circa primam magíſque vſi-

tatam nominis *Pars* ſignificationem aliquid obſeruandum eſt, prætermitti non debet, Latinos *Bonam partē* eodē modo de magna parte dicere quo Gallos *Vne bonne partie*. At *Quota pars* (vt hîc obiter non de Latinitate falſò ſuſpecta, ſed de ea quæ ſuſpecta eſſe debet, moneam) pro eo quod Galli dicunt *Vne quote partie*, non auſim cū quibuſdam dicere: quòd nullum idoneum huius vſus exemplum inueniam. Nam rectè quidem interrogari ſcio, quota pars (exēpli gratia) numeri nouenarij ſint tria, & rectè reſponderi tertiam eſſe partem: ſed aliter dicitur illud Gallicum *Vne quote partie*. Neque tamen hoc me mouet, quòd ita vtendo nomine *Quota*, extra interrogationem ponatur: quoniam (quod à paucis obſeruatum eſſe puto) *Quotus* iunctum nomini *quiſque*, inueni extra interrogationē etiam vſurpatum, & quidem in illa ipſa quam interrogatiuè poſitum haberet ſignificatione. Ita enim Plinius libri noni caput decimumnonum claudit, *Has intelligi ab his cauſas, ſeruarique temporum uices, magis miretur ſiquis reputet quotocuique hominum noſci uberrimam eſſe capturam ſole tranſeunte Piſciū ſignū*. Niſi fortè verbū cōiunctiui modi, quod huic infinitiuo iungatur, deeſſe putandum ſit. Ne hoc quidem omittendum

eſſe videtur, non debere ſuſpectum eſſe *In parte* pro eo quod Gallicè dicitur *En partie* (quãuis alioqui ſæpe etiam dicatur *Ex parte*) nec *Pro parte mea*, pro his Gallicis, *Pour ma part*. Itidémque *Pro ſua parte*, *Pour ſa part*. Quinetiam *Pro rata parte*, & breuius *Pro rata*, Latinè dicuntur, non minus quàm Gallicè poſterius illud *Pro rata*. Nã hæc Latina verba Galli omnino immutata retinent: dicentes (exempli cauſa) *Ie fourniray auſſi argent pro rata*. vel, *pour ma rate portion*: ſicut Latini quoque alio modo *Pro rata portione* dicunt. *Pro rata parte* Cicero quoque dicit, hoc autem cùm alii, tum verò Plinius.

Sors cum Gallico *Sort* conuenit non ſolùm quum dicitur *Iacere ſortem*, vt à nobis *Ietter le ſort* (ſicut Græci quoq; verbo eiuſdem ſignificationis vtentes dicunt βάλλειν κλῆρον) ſed etiam in ea ſignificatione qua ponitur pro eo quod vulgò in ſumma pecuniæ *Principale* nominatur. Nã hoc quoque à nobis dicitur *Sort*: idémque alio nomine, non ſolùm *Le principal* (vt modò dixi) ſed etiam *Le capital*. nimirum & hîc Latinitatem imitantibus, quæ tamen non *Capitale* ſed *Caput* dicit.

Scin' tu verò lector, quid mihi nũc in mentem (incerto alioqui quem ordinem

tenere debeam)venerit,quũ illã metaphoricam nominis Caput ſignificationẽ afferrẽ? Reliquas huius nominis ſignificationes metaphoricas in quib⁹ Latinæ linguæ cum Gallica conuenit,perſequi,idémq; & in cæteris corporis partib⁹(ſi nõ λεπτομερῶς, at certè παχυμερῶς) præſtare. Meum hoc cõſilium,ex tempore licet captum,quum tibi non minus quàm mihi probari perſuaſum habeã, ecce,rem ipſam aggredior. quam vt à capite (vt dici ſolet) ordiar, de hac ipſa primùm appellatione agam.

CAPVT igitur quaſdam ſignificationes habere dico metaphoricas, in quibus magnus ſit noſtræ linguæ cum Latina cõſenſus. Nec verò dubito quin & aliæ quædam vernaculæ linguæ in nonnullis eorum quæ afferam, talem ſecum itidem conuenientiam ſint animaduerſuræ: ſed aliis ea quæ ad ſe pertinent, poſt me memoranda relinquo. Primùm autem noſſe oportet Gallicam linguam tribus vocabulis quæ Caput ſignificant,inſtructã eſſe. Vnum eſt *Cap*, ſicut nimirum ab Italis vocatur *Capo*. Sed illud *Cap* Vaſconibus noſtris & quibuſdã aliis relinquimus (præterquam in nonnullis loquẽdi generibus: veluti quum dicitur *De pied en cap*)quanuis alioqui frequenti nobis in vſu ſint, ex illa

ipſa Capitis appellatione deducta, *Capitaine* & *Decapiter*: necnõ *Capituler* (vnde *Capitulation.*) Quibus addendum & *Capital*, ex adiectiuo *Capitalis*, quod ex ſubſtantiuo illo Caput eſt deriuatum. Alterum valde vſitatum, eſt *Teſte*, factum ex Latino *Teſta*: ſiue caluariam (quam vocamus alioqui *Le teſt*) cum fictili vaſe cõferendo: ſiue ad quorundam animaliũ teſtas reſpiciendo. Tertiũ eſt *Chef*, quaſi dicas *Keph.* id eſt κεφ. ex Græco videlicet κεφαλὴ per ſyncopen factum: vt ego iam olim docui.

Nunc autem vt exemplis quæ ſuggerere poterit memoria, id cõfirmem quod de illarum linguarum conſenſu dixi, & ab illa incipiam appellatione cui primum locum dedi, eodem modo à nobis dici aio, *De pied en cap*, quo à Latinis *A capite ad pedes*. Eſtq; illud genus loquendi Gallis omnibus lõgè vſitatiſsimum, quum alioqui noſtris Vaſconibus (vti dixi) potius ſit peculiaris hæc capitis appellatio. *Capitaine*, à quibuſdam *Capitaneus*, & nominatim à Feudiſtis, barbarè aut certè Gallicolatinè potius quàm Latinè dictus fuit. At verò *Decapitare* (vnde noſtrũ *Decapiter*) fieri poteſt vt in aliquo vſu fuerit apud eos etiã qui barbarie abſtinere vellẽt: ad imitationem nimirum Græci ἀποκεφαλίζειν. Mihi ſanè ni-

hilo durius videtur verbum *Decapitare*, pro *Decapiter*, nec minus Latinis auribus dignum, quàm *Decollare* pro noſtro *Decoller*. At illud tamen, præter multorum opinionem, non Gallicolatinum ſed merè Latinum eſſe compertum eſt: quanuis etiam Diomedes hunc illius verbi vſum cuiuſdã circa Latinitatem nouitatis accuſare velle exiſtimari poſsit: qui certè ab antiquo longè remotus eſt, quo ponebatur pro Deponere è collo. Hoc ſaltem dico, non videre me cur durius iudicandum ſit *Decapitare* in Latina lingua (quanuis eo vti non auſim) quàm ἀποκεφαλίζειν in ſua. De tertio autem illo vocabulo *Capituler* dicam vbi oſtendam *Capita* pro eo ſumi quod vulgus vocabulo Gallicolatino Articulos appellat. Sed ad tertiũ illud vocabulum *Capital* veniendum eſt: de quo itidem dubitari non poteſt an ex ſincera Latinitate petitum ſit: quum non ſolùm *Capitale* dixerint Latini, ſed hac ipſa qua nos terminatione (vt vocant quidam grammatici) vtentes, *Capital* & ipſi dicere non dubitauerint, *Capital facinus* (inquit Feſtus) *quod capitis pœna luitur*. Quãuis autem antiqua ſit hæc terminatio (ſicut in *Ceruical* pro *Ceruicale*, quib⁹ ſimile eſt *Volup* pro *Volupe*) eam iuriſconſulti nonnulli vſurparunt: ſicut eoſdem

Damnas pro *Damnatus* dixiſſe antiquo more videmus. Licebit igitur, vt Gallicè dicitur *Vn crime capital*, ſic etiam Latinè dicere *Crimen capital*, non ſolùm *Crimen capitale*: quanuis ipſe hoc cõtẽtus eſſe malim. Quũ autem dicitur *Vne uille capitale*, non eſt itidem Latino deriuatiuo, ſed primitiuo *Caput* vtendum. Nam vt Lutetia vocatur à nobis *La uille capitale du royaume*, ſic Latinè *Caput regni* eſt appellanda. Sic enim Plin. lib 12, cap. 14, in principio, loquutus eſt. At verò quum dicitur *Le capital* pro ſorte, ſubſtantiuum eſt, itidémque non illo deriuato *Capitale*, ſed primitiuo *Caput* interpretandum eſt. Liuius lib. 6, *vt deducto eo de capite quod uſuris pernumeratum eſſet, id quod ſupereſſet, triennio æquis portionibus ſolueretur*. Idẽ eodem libro *ſortem* appellat. Videndum autẽ & an nauis quam dicimus *La capitaineſſe*, quæ Nauarchis à Græcis nominatur, vocari itidem *Caput claſſis* poſſit.

Sciendum eſt porro inueniri etiam vocem *Cabu* ab hoc nomine *caput* deductã: ac ſonare illam *Capitatus*: vnde quos vocamus *Choux cabus*, poſſe vocari *caules capitatos*. De hac autẽ mutatione literæ *p* in *b*, in iſta voce Gallica, dicã aliquid & infra, vbi Picardici nominis *Caboche* & Hiſpanici *Cabezſa* mentionẽ faciã. Quædã deniq;

ex illo ipſo nomine Latino deduximus, in quibus tenuem literam in aſpiratam mutauimus: videlicet *Chapitre* & *Chapiteau*. Atq; vt diminutiuam habet formam hoc *Chapiteau*, ita *Capitellum* apud Latinos, ſiue *Capitulũ*, de columna (ſic tamen vt aliis etiam rebus tribuatur) at *Chapitre* dicitur ab illis *Caput* de libro: quinetiã (ſi credere dignum eſt) *Capitulũ*, & quidẽ à Cicerone. Affertur enim ex eo, De leg. libro I, *Nec uerò ferent, ſi audierint, te primum capitulum libri optimi prodidiſſe: in quo ſcripſit, nihil curare deum nec ſui nec alieni.* Verùm Latinitas hæc non falſò ſuſpecta fuerit, primùm quòd falſa ſit hæc lectio, & *primũ caput* ibi emẽdatiores libri habeãt: deinde quòd ne hoc quidem nomen ibi ſignificet quod dicimus *Le chapitre d'un liure*: ſed potius quod vocamus *Article*: ſicut in aliis pleriſque locis. Loquitur enim de Epicuri libro qui κύριαι δόξαι inſcribebatur: cuius prima hæc erat ſententia, τὸ μακάριον καὶ ἄφθαρτον οὔτε αὐτὸ πράγματα ἔχει, οὔτε ἄλλῳ παρέχει. Nam idem De natura deorum lib. I, ſcribit, *Quanquam uideo nonnullis uideri Epicurum, ne in offenſionẽ Athenienſium caderet, uerbis reliquiſſe deos, re ſuſtuliſſe. Itaque in illis ſelectis eius breuibúſq; ſententiis quas appellatis κυρίας δόξας, hæc, ut opinor, prima ſententia eſt, Quod beatũ & im-*

mortale eſt, *id nec habet nec exhibet cuiquã negotium*. Perinde igitur eſt acſi diceret illic quoque Cicero, Te primam ſentẽtiam libri optimi prodidiſſe: at *primum caput* dicit, vt nos diceremus *Le premier article*, vel, *Le premier point*. Dignum autem cenſui locum hunc qui à me lectori examinaretur, quòd magnum eſſe viderem de hac falſa lectione conſenſum, præſertim in Dictionariis, vt vulgò vocant: quaſi verò iam vox *Capitulũ* in illa quam barbari alioqui ſcriptores illi dederunt ſignificatione, à barbariei ſuſpicione liberari, vel potius à barbarie vindicari poſſet. At verò vocabulũ quod propriè reſpõdeat huic nomini *Chapitre*, in ea ſignificatione à qua eſt verbum *Chapitrer*, extra Latinitatẽ quærendũ eſſe, ipſi etia canonici fortaſſe mecũ fatebũtur.

Secunda capitis appellatio Gallica (ſequendo eum quem propoſui ordinem) eſt *Teſte*. videamus & hîc quoſdam nominis *Caput* vſus, quibus Gallicum illud adhibere, non inuita Latinitate, licebit. Primùm ei quod dicitur *Cela te puiſſe retõber ſur la teſte*, ſimile eſt, *Hoc in caput tuum recidat*, vel *Hoc in caput tuum uertatur*: hîc Tacitum, illic Curtiũ imitando. Tale eſt & iſtud apud Naſonẽ, *Pœna reuerſura eſt in caput iſta tuũ*. Quò & Virgiliana hæc pertinent, — *dij ca-*

piti illorũ generíque reſeruent. Et hæc in epiſtola Cælij, *Quod illorum capiti ſit.* Tibullus autẽ dixit etiã, *—capiti ſint precor illa meo.* Atque vt nos à Latinis, ſic Latini à Græcis illud acceperunt. Ita enim dicunt & ſine adiectione verbi nonnunquam, εἰς κεφαλὴν σοι. vbi ſubaudiendũ eſſe πρέποιτο, docui in Theſauro meo Græcæ linguæ: vbi attuli etiam ex Demoſthene, ἃ νῦν εἰς κεφαλὴν ὑμᾶς ἀυτοὺς δεῖ τρέψαι. Atque hoc (ſicut alia Græci ſermonis multa) imitatur Tacitus. Immeritò ſuſpecta fuerit Latinitas in illo quoq; vſu huius nominis qui conuenit cum vſu Gallici, in iſto etiam loquẽdi genere, *On a conté par teſte*: vel, *On a payé par teſte.* Ita enim Liuius lib. 2, *Extulit eum plebs ſextantibus collatis in capita.* Cæſar autem dixit, Comm. De bello ciuili, lib. 3, *In capita ſingula ſeruorum ac liberorum tributum imponebatur.* Hinc autem *Capitatio*, iuriſconſultorum vocabulum. Inuenitur tamen & in aliis loquendi generibus nomen *Caput* pro ipſo homine: quorum nonnulla eandem illam vocem Gallicam admittunt. De vno quidem certè affirmare id poſſum. Nam quod dictũ olim fuit, *Quot capita, tot ſenſus*, & ab Horatio, *— quot capitum uiuunt, totidem ſtudiorum Millia*) dicere itidẽ ſolemus, *Autant de teſtes, autant d'auis.* ſiue, *autant d'opinions.* A Terentio in Phor-

mione, *Quot homines, tot ſententiæ.* In illo autem dicto, *Quot capita, tot ſenſus* (quod ἀδέσποτον eſſe puto) quæ datur ſignificatio nomini ſenſus, exemplo non caret, etiã in hoc plurali numero. Atq; hoc prouerbiũ reuocat mihi in memoriam aliud, in quo itidem Latinæ linguæ optimè cum Gallica conuenit in horum nominũ vſu. Quẽadmodum enim dicit Plautus in Aſinaria, *Nec caput nec pes ſermonis apparet*, ſic dicere vulgò ſolemus, *Il n'y a ni pied ni teſte en tes propos.* Quod loquendi genus vſurpans Cicero, ex voce *pedes* feſtiuum iocum elicit: ſcribens Curio, libro 7, *Sulpitij tibi operam intelligo ex tuis literis nõ multũ opus fuiſſe, propter tuas res ita cõtractas, ut (quemadmodũ ſcribis) nec caput, nec pedes. Equidem uellem uti pedes haberent, ut aliquãdo redires.* Vocẽ *Caput* pro vita quoq; Latinis, nominatímq; ipſi Ciceroni, vſitatum fuiſſe, ſcit quiſque: ſciat verò præterea nec Gallico ſermoni hac in ſignificatione eſſe incognitum. Nã pro his, *Agitur hac in re de tuo capite*, dicere poſsis, *Il y va de ta teſte.* Atque vt Latini non homines tantùm atque animalia, verumetiam inanima quædam *capitis* appellatione dignati ſunt: ita & nos in hac appellatione fecimus: quippe qui dicamus, *Les teſtes d'aulx*, item *d'oignons*, ſicut illi *Capita alliorum*, item *cæparum.* Eodem modo

allio *κεφαλὴν* (quæ vox *caput* ſonat) tribuerunt Græci:vt vel in prouerbio videre eſt, *οὐδὲ σκορόδου κεφαλὴν δίδωσι*, apud Ariſtophanem in Veſpis. Exiſtimatur enim hîc eſſe prouerbialis hyperbole. Sic verò & *Capitatos caules* eſſe quos vocamus itidem *Choux cabus*, antea docui. Verùm ne hoc quidem omittendum & *Claui caput* ab illis dici (vnde & *capitatum clauum* apud Varronem legi)ſicut nos dicimus *La teſte d'un clou.*

Deniq; cũ Latino *Capito* conuenit noſtrum *Teſtu*:quod tali omnino deriuatione factũ eſt ex *Teſte*; quali *Capito* ex *Caput*: ita vt vocabulũ iſtud ad imitandum ſimul & exprimendum Latinum illud fictum eſſe videri poſsit. Dicunt autem nonnulli & *Teſtard* pro *Teſtu* : itidémq; Picardi noſtri à ſuo *Caboche*(quod illis ſonat *Teſte*) deduxerunt *Cabochard*, in illa ipſa ſignificatione. Factum eſt autem hoc Picardicũ *Caboche* ex voce *Caput*, primùm in *Capo* (quod Italicũ eſt)deinde in *Cabo* immutata. ſicut in Hiſpanico *Cabeza* mutatum eſt *p.* in *b.* (*Cabo* autem ab Hiſpanis de capulo, necnon de promontorio dicitur : vt *Cabo de ſanta Maria*)adiectáq; poſtremò ad finem ſyllaba. Extat autẽ apud Plautũ vox illa *Capito* in Perſa, addito adiectiuo, quod velut *ἐπιθετικῶς* ponitur, *His cognomentum erat duris*

capitonibus. Vbi obſeruandum etiam dici à paraſito qui hîc loquitur,datam eſſe ſuis maioribus hanc appellationem pro cognomẽto:ſicut reuera cognomenti formã habet iſtud vocabulum. An verò quod ad ſignificationem attinet, aliquid aliud ſub eo lateat, alii viderint. *Capitoſus* pro noſtro *Teſtu* dictum etiam fuiſſe à quibuſdã recentioribus non ignoro,ſed quo exẽplo, id verò neſcio;ideóque Latinitati ſuſpectę à me interim adſcribetur.Quinetiam *Ceruicoſum* appellatum fuiſſe eundem memini, qui alioqui *Duræ ceruicis homo*, ſicut à Græcis σκληραύχην,dictus fuerat.Licet autẽ vſus nominis illius nullus dum autor laudatus fuerit, quod ſciam, (ex iis quidem certè quorum Latinitas minimè ſuſpecta ſit)Latinè tamen potius quàm barbarè ſonarę videtur. Habemus porro vocabulum quod ad eandem ſignificationem ſpectat, ex Latino nomine *Opinio* deductum: videlicet *Opiniaſtrè* (pro quo periphraſin etiam habemus,quæ mollius ſonat, *Singulier en ſes opinions*) in quo exprimendo illa voce Latinorum vti poſſumus, interpretãdo *Opinionis ſuæ pertinax*, vel *In opinione ſua obfirmatus*.Apud Ciceronem in Acad.legitur quidem *Opinioſus*,vel potius *Opinioſiſſimus*,ſed alia ſignificatione.*Quid*?(inquit)

duo uel principes dialecticorum, Antipater *&* Archidemus,*opinioſiſſimi homines,nonne multis in rebus diſſentiunt?* Vbi longè aliam (vti dixi) habet ſignificationem hoc nomen quàm eam de qua nunc à nobis agitur: neque tamen eam quam Budæus illi tribuit: dicens Opinioſiſsimos vocari exiſtimatiſſimos,quos Græci appellarent ἐνδοξοτάτους. Quin potius Opinioſiſsimos dixit quos hi nominarent δοξαστικωτάτους, ad differentiam eorũ qui nihil volebant δοξάζειν,ſed omnia eſſe ἄδοξαστα, ideóque ſe de omnibus ἐπέχειν dicebant. Sed & qui Latinè dici poſſe exiſtimarũt Opinatorẽ vehementem,eum quem vocamus *Opiniaſtre*, multum falſi ſunt:ſiue ex illo Ciceronis Acad. loco vbi ſcribit,*Nec tamen ego is ſum qui nihil unquam falſi approbẽ,qui nunquam aſſentiar, qui nihil opiner:ſed quærimus de ſapiente. ego uerò ipſe & magnus quidam ſum opinator (nõ enim ſum ſapiens)& meas cogitationes ſic dirigo,* &c. ſiue aliunde ſumpſerint.Sed quoniam hoc nũc verbum ſe nobis offert, de hoc monebo, quod dicimus *Opiner*,non poſſe reddi Latino verbo *Opinari.* Eſſe enim *Opiner*, *Dicere quod opinamur*, ſiue *Opinionem noſtrã proferre.*

Supereſt illa tertia vox qua Galli caput ſignificant,vt quos hæc quoque vſus cum

Latina cōuenientes habeat, videamus. Ea igitur eſt Chef, pro Kef, ſiue Keph.id eſt κεφ. ex κεφαλὴ,vt antea docui: atque vt Latinos itidem primam huius Græci nominis ſyllabam quibuſdam compoſitis adhibuiſſe, mutatis literis PH in PS, docebo. Vt igitur Plautus, & poſt Plautum Terentius dixit aliquem *eſſe caput rei cuipiam*, ſic nos dicimus *Eſtre le chef de l entrepriſe*. Terent. Andria, —*quid hic uult ueterator ſibi? Nam ſi hîc mali eſt quicquam hem illic eſt huic rei caput*. Sic & Adelphis. Obſerua autem dici vtrobiq; Caput huic rei,non Caput huius rei. Neque tamen dubito quin dicere liceat etiam Caput huius rei:ſicut *Caput cōiurationis* & *Capita coniurationis* à Liuio dicitur:item *Caput conſilij*, ab eodem. Plautus datiuo itidem iunxit, addito & gerundiuo (vt quidam vocant) in Aſinaria, *Ego caput huic argento fui hodie reperiundo.* Quinetiam *Eligere caput aliquod*, dicere poſſumus ea ſignificatione qua dicimus ſermone noſtro. *Eſlire un chef.* Liuius lib. I, *Timor deinde patres inceſſit, ne ciuitatem ſine imperio,exercitum ſine duce,multarum circa ciuitatum irritatis animis,uis aliqua externa adoriretur.Et eſſe igitur aliquod caput placebat,& nemo alteri concedere in animum inducebat.* Quinetiam in vrbibus quipotētiores ſunt,

aut quoquomodo plus cæteris autoritatē pollent, dicuntur ab eodem eſſe *Capita*, vt diceremus *Les chefs*. Sic etiam Capita plebis apud eum legimus, libro 10, *Poſtquam alia fruſtra tentata erant, eam actionem ſuſceperunt, qua non infimam plebem accenderent, ſed ipſa capita plebis*. Oſtenditque quæ fuerit eorum dignitas quos capita plebis vocauerit, ſubiungens, *conſulares triumphaléſq; plebeios*. Quanuis autem in vrbibus videātur iidem eſſe *capita*, qui & *primeres* dicerentur, obſeruandum eſt, Liuium hîc, quū dixiſſet certamen fuiſſe iniectū inter primores ciuitatis, patricios, & plebeios, tamen & ex ipſis plebeiis aliquos capita nominare. Atque vt nihil omittam (quantum in me erit) quod huc pertineat, addo, *Capita rerum* ab eodem non rarò dici. vt libro 36, *Oppido recepto Leuinus, qui capita rerum Agrigenti erant, uirgis cæſos ſecuri percuſſit: cæteros prædámque uendidit*. Eodem in libro, *Ibi quoque in eos qui capita rerum erant, animaduerſum*. His autē in locis & ſimilibus, vbi videlicet additur hic genitiuus, non tam ad potētiam, ſiue autoritatem, quàm ad rerum adminiſtrationem reſpici videtur: vt nimirum intelligantur qui capita rebus gerendis fuerant, (vt dicit Plautus Eſſe caput rei cuipiā faciendæ) id eſt, rebus

gerendis præfuerant. Iam verò vt in vrbibus aliqui dicuntur eſſe *Capita*, ita & vrbes aliquæ *Capita* vocantur: id verò nobis eſt, *Les capitales*: cuius vocis & antea mentionem feci. Idem hiſtoricus lib. 10, *Tres ualidiſſimæ urbes, Hetruriæ capita, Volſiniȷ, Peruſia, Aretium, pacem petiere.* Et libro 9, *Quæ fermè capita Hetruriæ populorum ea tempeſtate erant.* Sic verò & Roma caput Latio eſſe dicitur ab eodem, *Quippe concedentibus Romam caput Latio eſſe.* Generalius verò loquens, eandem vrbẽ dicit eſſe *caput rerum* (vbi alium etiam quàm in præcedentibus locis vſum hic genitiuus habet) ſicut & quum *caput orbis terrarum* appellat. Verùm ad alias nominis huius ſignificationes veniendum eſt.

Eiuſmodi autem ſunt ſignificationes illæ de quibus agere nunc inſtitui, vt non itidem exprimi poſsint à nobis vlla trium illarum appellationum quibus caput declaratur, ſed alia quapiã voce noſtra opus habeant. *Caput* igitur interdum eſt etiã quod vocamus *Article*, & pro quo voce *Articulus* vulgus abutitur. Ita enim Cælius, ſcribens Ciceroni, *Legiſq; unũ & centeſimũ caput legit, in quo ita erat, Quod eorum iudicum maior pars iudicarit, id ius ratúmque eſto.* Sic verò & ipſe Cicero ad Atticum, *Aſt tute*

ſcripſiſti ad me, quoddam caput legis Clodium in curiæ poſte fixiſſe. Itidémque in orat. De lege Agr. non ſemel. Feci autem & ſuprà mentionem huius ſignificationis, vbi oſtẽdi pleroſque apud eundem *caput libri* (vt de illis taceã qui *capitulum* ſcripſerãt) perperã intellexiſſe de eo quod vocamus *chapitre* quum & ibi ſignificationẽ illã habeat. His igitur exẽplis cõtẽtus, ad aliũ huius nominis vſum tranſibo: ſi tamen prius de interpretatione verbi *Capituler* (quod in hunc locum reſeruare me dixi) ſentẽtiam meam expoſuero. Ea igitur eſt, deductum eſſe noſtrum hoc vocabulum à nomine illo *caput*, ſed eam ſequi illius ſignificationem qua pro articulo (vt vulgus appellat) ponitur. Ideóque videndum quæ poſsit ex illo nomine *caput* idonea verbi huius *Capituler* interpretatio peti. Scio enim fuiſſe qui reddiderint, *Conditiones petere*, item *Conditiones ferre & accipere*. Quibuſdam etiam placuiſſe interpretari, *De conditionibus agere* vel *tractare*. Non defuiſſe denique qui adiectiuũ à nomine *Articulus* deductum ad verbi huius interpretationem adhibuerint, hoc modo, *Ex æquo cõditiones articuloſas ferre*: itẽ per aduerbiũ ex illo factũ, *Articuloſè paciſci*. At ego Plinij aduerbio *Capitulatim*, ex eadem illa voce de qua nunc ſermo eſt,

deducto,malim vti, & dicere, *Capitulatim paciſci*:aut, ſi ipſo nomine vtendum ſit, *De capitibus fœderis* vel *pacis agere*, vel *compoſitionis*. Eſt enim iſta quoque vox *compoſitio*, pro eo etiam quod dicimus *compoſition*, ex illis quæ falsò ſuſpectæ ſunt. Fortaſsis & *De capitibus pactionis agere*, quiſpiam dici poſſe exiſtimet:ego aliquod illorũ malim, quia *Pactio* eſt ea ipſa quæ de capitibus fœderis ſeu pacis ſiue compoſitionis agit: vnde & noſtrum verbale *Capitulation*(nam nec hoc quidem prætermittendum eſt) exiſtimem poſſe illa etiam voce *Pactio* poſſe reddi,ſine vlla adiectione. Non ignoro alioqui non ſolùm de ipſo paciſcendi actu (vt ita loquar)nomen illud in vſu eſſe: quum conditiones & pactiones,nõ minus quàm conditionem & pactum, à Cicerone copulari videam: ſed nos quoque vocem illam *capitulations* hoc etiam modo vſurpare dico. Atq; vt tandem finem faciam, cum qui itidem pro *Capituler*, ſimpliciter dicat *Paciſci*, non malè vocem noſtram expreſſurum dico. Sed obſeruandum eſt me hîc verbum *Paciſci* ita accipere vt quum dicitur *Paciſcor ut hoc à te fiat*. qua in ſignificatione adiũgitur interdum verbo *Peto*: vt apud Plinium iuniorem,& apud Liuiũ lib.8, *ſibi priuatim nec paciſci quicquam, nec*

petere:publicè petere quàm paciſci magis, ut ſi &c. Sic etiam quod de verbali *Pactio* dixi, intelligi de illo vſu volo in quo hãc verbi ſui ſignificationem ſequitur. Ad illud verò aduerbium *Capitulatim* quod attinet, ſimilem eius vſum apud Pliniũ habemus, vbi ſcribit, *Nunc confeſſa de iiſdem breuiter atque capitulatim attingam, ratione admodum neceſſariis locis ſtrictimque reddita.* Sunt autem hæc ex cap. 12, libri 2. vbi quiſpiam è ſcriptoribus magis in ſermone ſuo religioſis dicere maluiſſet, Nunc con feſſa de iiſdem exponã breuiter, & ipſa tantùm capita attingens. Si verò & de prioribus illis aliorũ interpretationibus aliquid dicendũ eſt, illa quæ habet nomẽ *articuloſas*, & quæ aduerbium *articuloſè*, eæ ſunt quæ minus ferri poſſe vidẽtur, licet à viro doctiſsimo profectæ: cui (vt opinor) occaſionem ita loquendi præbuit hic locus Fabij, *Euitanda maximè conciſa nimium & uelut articuloſa partitio.* Habet alioqui vox iſta *Article* apud nos aliam ſignificationem, in qua ei bellè cum Latino *Articulus* conuenit: quum tamen ſiquis ibi hoc vtatur, multis eius Latinitas ſuſpecta futura ſit. Loquor enim de ea quã habet quum dicimus, *En l'article de la mort*: quod Latinè dictum iri contendo, *In mortis articulo.* vel, *In ipſo mortis articulo.*

Affinis autem præcedenti eſt vſus ille quo ponitur pro eo quod dicimus *Poinct*, quaſi dicas *Punctum*. vnde ſuprà in illo Ciceronis loco cuius modò memini, *Primũ caput* dixi poſſe nos interpretari *Le premier article*, aut etiam *Le premier point*. Sic autem dixit idem ſcribens ad Atticum, *Prima duo capita epiſtolæ tuæ tacita mihi quodãmodo relinquenda ſunt.* Ideóque dubitari poteſt de expoſitione huius vocis in iſto Ciceronis loco, Philipp. 2, *Confeſtim ad eã cuius cauſa uenerat, deducitur, eique epiſtolam tradit. Quam quum illa legeret flens (erat enim amatoriè ſcripta: Caput autem literarum, ſibi cum illa mima poſthac nihil futurum: omnem ſe amorem abiéciſſe illinc, atque in hanc transfudiſſe) quum mulier fleret uberius, homo miſericors ferre non potuit, caput aperuit, in collum inuaſit.* Quum enim *Caput literarũ* exponi ſoleat hîc Summa literarum, videri poſsit de earum principio potius intelligendum, ſeu prima parte: atque adeò de eo quod diceremus *Le premier point.* Sed lectorem monitum volo interdum hanc vocem nõ eſſe quod dicimus *Le premier point*, ſed potius quod appellare ſolemus *Le principal point*, *Le point qui importe*: vel, *Cela où eſt toute l'importance*: pro quo dicimus etiam, alia ſermonis forma vtentes, *Le nœud de la*

beſongne. vt interim videas quàm diuerſis loquendi generibus vnicum Latinum variare noſtra præ cæteris lingua poſsit. Sonat enim hoc, Quod maximè ad rem pertinet, ideóque maximè eſt animaduertendum. vel, Cuius ideo maximè habenda eſt ratio, Id in quo res vertitur, Id in quo poſita ſunt omnia. Cic. ad Atticũ, lib. 13, *Quod autem de illa noſtra cogitatione ſcribis, in qua nihil tibi credo: ea quæ noui, ualde probo, hominem, domum, facultates: quod caput eſt, ipſum non noui*. Ita lóquutus eſt in alia ad eũdem epiſtola, quæ eſt libri primi decima ſexta, in poſterioribus editionibus: *Nam ſi ita ſtatueris, & irritabiles animos eſſe optimorũ ſæpe hominũ, & eoſdem placabiles, & eſſe hanc agilitatem, ut ita dicam, mollitiémque naturæ, plerunque bonitati: & (id quod caput eſt) nobis inter nos noſtra ſiue incommoda ſiue uitia, ſiue iniurias eſſe tolerandas, facile hæc, quemadmodũ ſpero, mitigabuntur*. Græci non diſsimilem voci κεφάλαιον ſignificationem tribuunt. adeo vt hîc dici poſsit, τὸ δὲ κεφάλαιον. Niſi quis malit, τὸ δὲ μέγιστον. Quinetiã dici queat fortaſſe, τὸ δὲ προὐργιαίτατον. Atque vt illud κεφάλαιον poſſumus alicubi interpretari etiam Summam, ita non dubium eſt quin *Caput* alicubi exponi ita poſsit. Inuenitur porro apud eundem ſcriptorem *Caput eſt*,

& cum adiectione:veluti quum dicit ſecuritatem caput eſſe ad bene viuendum: vbi illa verba *Le principal point*, locum itidem habere ſciendum eſt.Ne hoc quidē omittendum,interdum genitiuum *rerum* addi plurali huius nominis ab eodem,&dici *Capita rerum* quæ nos vocaremus *Les principaux points*:eúmque Plauti exemplo ita loqui.Sed apud hunc,*ad capita rerum peruenias* , rectè etiam interpretatus eſt pater meus *venez au point*.Neque enim aliud eſt illud quàm quod vulgò dicitur,*veni ad rē*. Quærendum nobis eſt aliud vocabulum & in ea nominis *caput* ſignificatione qua pro autore ponitur : veluti quum dicunt, *Rumor is ſine capite manauit*.Sed vt ipſi eadē in ſignificatione dicunt etiam *Sine autore*, ita nos dicere poſſumus *Sans auteur*.Sequuti ſunt autē Græcos Latini & in hoc iſtius nominis vſu , illorum videlicet aduerbium ἀκεφάλως:vt quidam volunt, qui tamē hūc eius vſum exemplo nullo confirmant.Addo denique(quod huius mei examinis eſſe clauſulam volo) nos à Latinis deſciſcere ibi quoque vbi *caput fluminis* dicunt: & potius vocabulo *bouche*, quo ſignificatur os, ſolere vti: atque in hoc Græcorum στόμα imitari:quo & Virgilium modo ora Nilo tribuiſſe ſcio.

Sed pollicitus ſum (quod propemodũ oblitus eram) me de quibuſdam etiam nominibus compoſitis dicturum, in quibus Latini eadem ferè voce, vel potius vocula, qua nos, (quum *Caput* vocamus *Chef*, ſiue *Cheph*) vtuntur, in capitis ſignificatione. Ea eſt *Ceps* pro *Ceph*, prima Græci nominis κεφαλὴ ſyllaba. Dico enim Latinos (nec me falli hac in re, quæ tamen pleriſque mira videbitur, exiſtimo) quum ex Græcis δικέφαλος & τρικέφαλος feciſſent *Biceps* & *Triceps* pro Biceph & Triceph (quæ ex Græcis illis decurtatis reſtabant, ſed durã nimium terminationem habebant) maiori quadam audacia vſos, eandem ſyllabã ab illis mutuatos eſſe, & ſuis ipſorũ vocabulis præfixiſſe, atq; ita cõpoſita, *Præceps*, *Anceps*, feciſſe. Omnino enim nomina hæc eſſe Latinograeca, id eſt, ex Latinis & Græcis vocibus conflata: & (quod animaduertendum eſt, multúmque ad fidem opinioni meæ faciẽdam prodeſſe poteſt) ſignificationem ſingulorum optimè cum hac deriuatione cõgruere contendo. Nam vt incipiam à *Præceps* (quod mihi ad perſpiciendam cæterorum deriuationem oculos aperuit) linguæ Græcæ cum Latina collatio in vſu vocis huius, oſtendit ſignificationem ei ineſſe præpoſitionis Præ, ſignificantis Ante in

compoſitione, & voculæ quæ capitis ſigni ficationem habet. Quod enim Latini *Præ cipitem dare* dicunt, id Græcis eſt ῥίπτειν ἐπὶ κεφαλήν. Et verò Gallicæ linguæ conſenſus huc accedit (quo lubentius mentionē nominis iſtius hîc facio) quippe quæ itidem dicat *Se ietter la teſte deuant*, vel *La teſte la premiere*: ſicut in meo Theſauro Græcæ linguæ monui. Sed ibi de hoc etymo vocabuli *præceps* nihil dixi, quamuis iam tum id ſubolfacerem: quòd eandem illam ſyllabam Græcam à nobis in voce eiuſdem ſignificationis vſurpatam eſſe non recordarer: ideóque timidior ad patefaciendam meam hanc ſententiam eſſem. Alioqui & tunc temporis diſplicebat, & multo antè diſplicuerat ea quæ à grammaticis traditur nominis huius etymologia: vt videlicet *Præceps* compoſitum ſit ex Prę & Capio, & propriè dicatur de illo qui ſine conſideratione aliqua, aut modo, quid agit, & quaſi rem & tēpus præoccupat. Atque huic expoſitioni ſubiungitur Martialis quidam locus, vt ad declarandam ſignificationem illam omnium aptiſsimus: hic videlicet, ex libro 1, *Præceps ſanguinea dum ſe rotat urſus arena.* Quē excipit hic Virgilianus, ex AEneidos libro 3, — *mox ſeſe ad littora præceps Cum fletu precibúſq; tulit.* vbi

à Seruio *præceps* exponitur *Sine reſpectu ſalutis*. Verùm vt falſum ibi affertur etymũ, ita & exempla ad declarandam primam & propriam ſignificationem nõ ſatis apta proferuntur. Non dubito autem quin ex Sipontino illa etymologia petita ſit. Quod ſi ita eſt, magis miror tot doctos homines in eius ſententiam pedibus iuiſſe. Non dubito certè quin illius autorẽ (quicunque is ſit) ea mouerint quæ à Feſto de nomine *Anceps* traduntur: nimirum eſſe à capiendo, quòd ab vtraque parte capiatur. Atqui duas affert deriuationes ille grammaticus: & quanuis hanc, cui poſteriorem dat locum, magis probet, nõ protinus alteram cum eo reiicere, tanquam in eius verba iuraſſent, debuerũt. *Significare* (inquit) *uidetur Anceps, Quod ex utraque parte caput habeat, ut ſecuris, bipennis: ſed magis à capiendo, Quod ex utraque parte æquè capiatur, appellatum eſt.* Imò verò quicunque rem attẽtè conſiderauerint, potius à capite quàm à capiendo originem habere illud vocabulum dicent, ſi modò idem de altera illa voce *Præceps* fateri volent: quum vna etiam eadémque ſit declinationis forma. Nam vt huius genitiuus eſt *præcipitis*, ita illius, *ancipitis*. Ac profectò vel ob hanc vnam rationẽ nomini *Princeps* eandẽ deriuationem

nequaquam tribuerim: nimirum quòd in declinatione cum cæteris non conſentiat. Non ignoro alioqui vulgò *Princeps* ita exponi vt dicatur ſonare quaſi quis dicat Primum caput. Sed aliter ipſe Feſtus, *Deinceps, qui deinde cœpit: ut Princeps, qui primùm cœpit.* Item, *Deincipem antiqui dicebant proximè quẽque captum, ut Principem, primùm captum.* At ecce, recentiores quidam, hæc alteri etymologiæ conantes accommodare, ſcribunt, veteres *Deincipem* appellaſſe proximum quemque capitum: vt *Principem*, primum capitum: atque hinc fieri vt *Deinceps* aduerbium propriè ſignificet Gradatim, & quaſi per ſingula capita. Sed vnde hæc ſomnia? nimirum ex vnica literula quę in illum Feſti locum irrepſerat, in eo exemplari quo vſus fuit qui hæc primus tradidit. Nam quum Feſtus Proximè captum & Deinde captum ſcripſiſſet, vtrobique ille Capitum pro Captum legit. Nec alio niti fundamento hanc quæ à plurimis recipitur etymologiam exiſtimo, vt *Princeps* dictus ſit quaſi primum caput. Atqui etiamſi Feſtus ita ſcripſiſſet, & omnes vno ore grãmatici hoc affirmarent, non immeritò dubitaremus an illis potius quàm analogiæ declinationis habere fidem deberemus: nunc verò quũ analogia Feſto aſtipuletur,

(tales enim genitiuos eſſe videmus eorum quæ ex Capio deducta eſſe conſtat, vt *Participis*, *Municipis*, *Mancipis*) non dubium eſt quin illi aſſentiri debeamus. Sed quũ illius deriuationis velut duo genera duobus locis (qui hac in re non ſatis inter ſe conſentiũt) proponat, & tale ſit vnum vt ab actiua voce Capere deducta eſſe vox illa dicẽda ſit: alterum autem eiuſmodi vt à paſsiua Capi, non dubito quin hoc reiicere, illud ſequi, rationi ſit cõſentaneum. Noſtra quidẽ certè lingua pro *Princeps* dicit *Prince*: pro *Præceps* autem, in quadã eius ſignificatione, dicit *Precipitant*: & ab eo deductum *præcipitium* vocat *un precipice*. Sed & nomen *Particeps*, licet ab alia origine, voce terminationem Latini participii, ſicut illa, imitante, exprimit. dicit enim *Participant*. Verùm quid illud eſt (aiet quiſpiam) quod à me modò etiam dictum fuit? vocẽ *Præceps* à nomine *Caput* deriuari, quum prius ex Græca voce κεφαλὴ deduxerim? Illic nempe quod mihi videtur dicebam, hîc quod aliis videtur dixi. Atque vt in noſtræ linguæ gratiam (quò videlicet illam qua vſa eſt in voce κεφαλὴ decurtationẽ, autoritate Latinæ defendam) pertinacior eſſe nolim: ita mihi licere ſententiam meã proferre, liberum eſſe crediderim: præſertim

quum id quod à me dicitur, magis etiam veriſimile videri poſsit quàm multa eorũ quæ à veteribus grãmaticis de deriuationibus traduntur. Ac, ne longè abeamus, quis non potius credat *Biceps* & *Triceps* eſſe dicta quaſi δίκεφ & τρίκεφ, id eſt Diceph & Triceph (ſicut in meo Theſauro Græcæ linguæ Latinos *Bifarius* & *Trifarius* ex Græcis διφάσιος & τριφάσιος feciſſe oſtendi) quàm Caput ex κάρα, vt tradit Feſtus, factum eſſe? Horum autem exemplo *Præceps* & *Anceps* poſtea dixiſſe, credibile itidem fuerit. Neq; verò mouere nos debet, quòd his compoſitis declinationẽ nominis *Caput* dederint. dare enim illis nihilominus eam potuerunt quam *Occiput* & *Sinciput* haberent, quæ domi nata eſſe putantur: quum quidam *Sinciput* quaſi Semicaput dictum eſſe tradiderint. Verùm vt huic diſſertationi finem imponam, hoc ſaltem ex ea firmum manere poterit, in *Præceps* & *Anceps*, non minus quàm in *Biceps* & *Triceps*, ad capitis ſignificationem reſpici: (ſiue ex ipſo nomine *caput*, ſiue ex κεφ prima nominis κεφαλὴ ſyllaba, formata eſſe exiſtimentur) contrà in *Princeps*, non ad nominis huius ſed ad verbi *Capio* ſignificationem reſpici.

Sicut Latinas Latini nominis *Caput* ſi-

gnificationes cum Gallicis Gallicarum appellationum quæ illi reſpondent,ſignificationibus comparaui,ita & quibuſdam aliis corporis partibus hanc adhibere comparationem decreui. Sed in his tanta vti breuitate conabor, vt ea ſuperiorem prolixitatem emendare videri poſsim: ac viatores imitabor, qui ſi lentius primū iter cō fecerunt,poſteriore celeritate priorem tarditatem compenſant. Quum autem feſtinare ſtatuerim, minus mirandum fuerit ſi exemplorum multo quàm ibi parcior ſim.

FRONS igitur à nobis vocatur *Frōt:* vel cum articulo *Le front.* Ad metaphoricas autem ſignificationes quod attinet, ſiquis pro eo quod dicimus *En front*,vel *De front*,(quod in anteriori parte ſeu in conſpectu eſt, declarantes) dicat *In frontem* & *A fronte*,minimè ſuſpecta hæc eius Latinitas eſſe debebit: vt vel vnius Liuij lectio docere abundè poteſt. Sic certè & Græci ἐπὶ μετώπου τεταγμένους, vel παρατεταγμένους (interdum etiam ἐν μετώπῳ παρατεταγμένους) itē ἐπὶ μετώπου ἰέναι dicunt. *Frontem contrahere*, vel *Frontem caperare*; vel *Frontem obducere*, aut denique *Frontem corrugare*; apud Latinos vſitatum eſt de iis qui triſtes ſunt, aut certè triſtitiam præ ſe ferunt: itidem nobis in vſu eſt, *Fronſer le frōt.* quinetiā vno verbo

Se refrongner. nec dubito quin ex ipſa frontis appellatione petitum hoc ſit, & dicatur *Refrongner* quaſi *Refrontigner*. Latinos *Frõtem amiſit*, vel *frons illi periit*, de impudente audimus dicentes: ſic certè nos *Effronté* hunc vocamus. quod nomen fronte carentem ſonat. Atque vt eundẽ *Duræ frontis eſſe* dicere ſolent, ſic nos, *Vn front d'arain*: quod ſonat frontem æneum. Obiter autem hoc adiiciam, in gratiam eorum qui hîc aliquid etiam diſcere cupiunt ex iis quæ in Latinitate rarius occurrunt: quemadmodum dicitur *frons dura*, de impudenti, ita inueniri *frontem mollem* dictam viciſsim de eo qui verecundior eſt quàm par ſit. Exemplum apud Fabium extat, libri 6, cap. 4.

AVREM *commodare alicui*, genus eſt loquendi, quod licet cum Gallico conueniat, ſuſpectæ tamen Latinitatis eſſe non debet. Sic autem Latinum illud cum Gallico, aut (ſiquis malit) Gallicũ cum Latino cõuenire dico, vt ne interpretari quidẽ aliter, reddendo verbũ verbo, liceat. Quũ enim in noſtro ſermone ſit *Preſter*, quod in illo eſt *Commodare*, & *Aureille*, ſiue potius *Oreille* (factũ ex diminutiuo *Auricula*) idẽ ſit quod *Auris*, in illo dicere ſolemus itidẽ *Preſter l'oreille à quelcun*. At verò de altero

loquendi genere, *Aurem accõmodare*, vel *aures*, quid ſentiendum eſt? Ego de huius nõ æquè ac de illius Latinitate conſtare mihi dico. Nam *Commodare aurem*, in Horatio & in Naſone legitur, *Accommodare aures* vidẽdum an aliquis ex claſsicis ſcriptoribus dixerit. nam ex Claudiano duntaxat allatũ inuenio: ita quidem vt dubitari quin ea ſit vera lectio, nõ poſsit. Quod enim apud Horatium Epiſt. 1, libri prioris, *patientem accommodet aurem*, quidam legerunt, pro *patientẽ commodet aurẽ*, ſatis veterum exemplarium autoritate refellitur. Iam verò & hoc obſeruatione dignum eſt, quemadmodum magis eſt in vſu *Commodare aurem* quàm *Commodare aures*, ita etiã nobis eſſe vſitatius, *Preſter l'oreille*, quàm *Preſter les oreilles*. Quid dico vſitatius? imò verò, an qui linguæ noſtræ ſatis ſunt periti hoc pro illo vtantur, dubito. *Aures arrigere* dicitur à Latinis qui lubenter & attentè audit, & viciſsim *Aures claudere*, qui audire non vult: ſic nos verbis quæ eiuſdem omnino ſunt ſignificationis, vtentes, illic *Dreſſer les oreilles*, (quidam etiam *Leuer les oreilles*) hîc autem *Fermer les oreilles* dicimus: vt *Claudere aures ueritati*, *Fermer les oreilles à uerité*. Sicut ſonus qui aures aſperitate ſua offendit, dicitur *Aures radere*, ſic à nobis *Racler les oreilles*. Quale item eſt apud Latinos *Vel-*

lere aurem, ad reuocandum aliquid in memoriam, ſeu ad quempiam officii ſui monẽdum (quo ſenſu & *Peruellere aurem* apud Senecam legitur) ſic apud Gallos *Tirer l'oreille*. Quinetiam *Baiſſer les oreilles* ea metaphora dicitur ab his qua ab illis *Demittere auriculas*. Quo etiã ſenſu dicimus, *Il s'en ua tout peneux*, interdum etiam, *Il s'en ua la queue entre les iambes*. ita vt pro his dicturi aptiſſimè (meo quidem iudicio) ſimus, *Abit demiſſis auriculis*. Atq; vt ab animalibus ſumptam eſſe metaphoram illam neceſſe eſt, in qua caudæ fit mentio, ita etiam quin altera (qua & Græci vtuntur, quum dicunt, τὰ ὦτα ἐπὶ τῶν ὤμων ἔχειν) petita ſit ab iiſdem, minimè dubium eſt: præſertim quũ & *Arrigere aures*, quod illi cõtrarium eſt, & alacritatem indicat, inde manaſſe conſtet: & quidem ab equis potiſsimum: ſicut Sophocles de iiſdem ὀρθὸν τὸ οὖς ἱστάναι dicit. Illius autem loquendi generis, *Il s'en ua la queue entre les iambes*, videor mihi originem in hac comparatione Virgiliana animaduertiſſe, AEneid. x i,

Ac uelut ille prius quàm tela inimica ſequantur,
Continuò in montes ſeſe auius abdidit altos
Occiſo paſtore lupus, magnóue iuuenco,
Conſcius audacis facti, caudámq; remulcens

Subiecit pauitantem utero, ſyluáſque petiuit. Ex hoc certè Virgilii loco, Gallica iſta, *La queue entre les iambes*, poſsis interpretari, *Cauda ſubiecta utero*: ſed ab eo res ipſa deſcribitur, at nos metaphoricè (vti dixi) vtimur.

Satis autem nota eſſe videntur hæc, *Dicere in aurem*, vt Gallicè *Dire en l'oreille*: & *Venit hoc ad aures meas*, vt apud nos *Cela eſt uenu à mes oreilles*: at verò quomodo dicẽdũ ſit *Souffler aux oreilles*, nõ perinde notũ eſſe exiſtimo. Sciẽdum eſt igitur Plautum hac in re verbo *Sufflare* itidem vti. Sed quum ille dicat *Sufflare alicui*, an dici etiam poſſit *Sufflare in aurem alicuius*, quærẽdum aliis relinquo. Neq; tamẽ aliam (ne quis me audaciorem hîc eſſe putet) illi loquendi generi expoſitionem tribuo quàm quæ recepta eſt: ſiquis aptiorem afferat, eam huic anteferre paratus.

OCVLORVM itidem appellatio loquendi genera quædam Latinis ſuppeditat, in quibus Galli cum illis conſentiũt. Vt enim dicimus Gallicè, *Ietter les yeux ſur quelcun*, ſic Latinè, quaſi verbũ verbo reddẽtes, dicere poſſumus, *Coniicere oculos in aliquem*. Quinetiam vt dicitur à nobis, *Auoir l'oeil à quelque choſe*, ſic propemodum à Fabio, *In oculis habere aliquid*. Atque huc per-

tinet & noſtrum illud, *Tenir l'oeil à quelque choſe*. At verò pro eo quod, non de re ſed de perſona loquẽtes, dicere ſolemus, *Ayez l'oeil ſur luy*, exiſtimo nos hiſce Plauti verbis vti poſſe, *Huius oculos in oculis habeas tuis*. Nobis vſitatum eſt, *Repaiſtre ſes yeux*, quũ de quopiam nobis grato ſpectaculo agitur: Latini quoque eiuſdem planè ſignificationis verbo vtentes dixerunt, *Paſcere oculos*: ſicut nimirum in alia huius verbi metaphorica ſignificatione eoſdem imitamur. Nam quod eſt his, *Paſcere ſpe inani*, nobis eſt, *Repaiſtre de uaine eſperance*, vel *Paiſtre*. vt etiam dicitur, *Paiſtre de promeſſes*. Vbi hoc ipſo vtens verbo, dicere poſsis, *Inani ſpe promiſſorum paſcere*. Alioqui *Lactare promiſſis* hac in re vſitatum eſt.

Verùm vt ad oculorum appellationem redeam, quemadmodum dicimus de eo quem ſic amamus, vt aſsiduè de illo cogitemus, *Il me ſemble que ie le uoy touſiours*, ſic Latini *In oculis geſtare*, & *In oculis ferre* dicunt. Vbi meminiſſe oportet & eius quod dicimus, *Ie ne le puis aſſez regarder*, ſiue, *Ie ne me puis ſaouler de le regarder*.

Vt autem à corporis oculis ad mentis oculos transeã, ſicut vulgò dicitur, *I'ay cela deuant les yeux*, ſic Latinè, *Habeo hoc ante oculos*. & pro eodem, *Hoc mihi uerſatur ante*

oculos.Necnon iſtud,*Mettre deuant les yeux*, dicunt eodem modo, *Ponere ante oculos*, id eſt,Manifeſtum facere. Quod ſignificant & his verbis, *ſubiicere oculis*. Sic pro his Gallicis,*Ceci me uient deuant les yeux*, hiſce Latinis vti poſsis,*Hoc uenit ante oculos*. Deniq; qua metaphora dicimus *Ouurir les yeux*,& *Clorre les yeux*, ſiquis eadem dicat *Aperire oculos* & *Claudere oculos*,ſuſpectam eius Latinitatem minimè eſſe oportebit.

ORIS etiam facienda hîc eſt mentio, quod nos vocamus *Bouche*, hanc appellationem ex nomine BVCCA, (ſicut Itali & Hiſpani ſuam)mutuati. Eſtque obſeruãdum,iſtud quoque poſterius nomen Latinis hac in ſignificatione oris vſitatum fuiſſe in quodam loquendi genere quod Gallis eſt itidem familiare,illi vocẽ hanc *Bouche* adhibentibus.Siquis enim hæc Gallica, *Tu diras tout ce qui te uiendra en la bouche*, reddat iſtis Latinis,*Dices quicquid in buccam uenerit*, Latinitas eius immeritò ſuſpecta nobis fuerit. Neque verò minus Latinum eſt *Buccea*(quod tamen explóſum à quibuſdam fuiſſe ſcio) ex *Bucca* factum, quàm *Bouchee*, ex illo *Bouche*, eſt Gallicum. Idémq; de diminutiuo *Bucella* eſt ſentiendum.

Quod autẽ ad genera loquendi attinet quibus Latini non hanc Buccæ ſed alterã

illã Oris appellationẽ adhibẽt, & in quib⁹ nos eundem voci noſtræ *Bouche* vſum damus, ex eorum iſtud numero eſt, *Habere ſemper in ore aliquid*, vel *aliquem*. Ita enim & nos, *Auoir touſiours en la bouche*. Eodémque modo & Græci, *διὰ στόματος ἔχειν*, vel *ἀνὰ στόμα ἔχειν*. Cicero vno eodémque in loco dixit *Habere in ore & amore*: nóſque itidem noſtrum *Auoir*, quod reſpondet Latino *Habere*, cum nomine amorem ſignificante iungentes, dicimus, *Auoir en amour*: adeo vt hîc quoque verbum verbo reddere poſsimus, *Auoir en la bouche & en amour*. Sed pergamus ad alia. Dicimus vulgò *Fermer la bouche à nos ennemis*, pro Imponere inimicis ſilentium: ſic certè & Latinè dicere liceat, *Os inimicis occludere*, vel *obſtruere*. Græci autem vno verbo *ἐπιστομίζειν* idem declarant. Plautus dixit etiam *Linguam occludere*. Sed cuiuſdam loquẽdi generis recordor, quod ſuſpectum potius quàm vllũ ex illis apud nonnullos fuerit, quum tamen ipſe etiam Cicero vſus illo eſſe cõperiatur. Quódnam id eſt? *Pleno ore laudare*, ſicut apud nos *Louer à plene bouche*. Sed Cicero (ne hoc diſſimulem) tanquam verecundius hac phraſi vtens, particula *Quaſi* præfixa eam mollit. Scribit enim De offic. lib. 1, *Itaque in probris maximè in promptu eſt ſiquid tale dici poteſt*,

Vos etenim iuuenes, &c. *contráque in laudibus, quæ magno animo & fortiter excellentérq; geſta ſunt, ea neſcio quo modo quaſi pleno ore laudamus.* Vbi tamẽ legitur etiam *pleniore ore*, ſed minus rectè. Cæterùm quum in noſtro ſermone extet aliud loquendi genus, illi oppoſitũ, *Louer à demie bouche*, cogitet lector qui aliquo hac in re præditus eſt iudicio, ánnon cum bona Latinitatis venia dicere hîc itidem liceat, *Ore ſemipleno laudare*. Ne hoc quidem prætermittendum cenſeo, ſicut nos emphaſi vtẽtes dicimus, *Vous l'auez dict de uoſtre bouche* (interdum etiam, *de uoſtre propre bouche*) ita Ennium *Ex ore tuo* dixiſſe, teſte Cicerone. Scribit enim ad Atticũ, Epiſt. 2, lib. 6, *Ain' tandem Attice, laudator integritatis & elegantiæ noſtræ? auſus es hoc ex ore tuo (inquit Ennius) ut equites Scaptio ad pecuniam cogendam darem, me rogare?* Atque vt os Latini equo etiam multíſque aliis animalibus tribuerũt (quo Græci modo ſuum στόμα) ſic quoque noſtrum *bouche* de iiſdem vſurpamus. Quinetiam aliæ metaphoricæ ſignificationes quæ à Latinis illi *oris* appellationi dantur, eædem, aut ſaltem earum pleræque, voci Gallicæ *bouche* tribuuntur. Neque enim tãtùm dicimus *La bouche du port*, item *La bouche d'une riuiere*, ſicut *Os portus*, & *Os flumi-*

nis dictum à Latinis fuit,ſed etiam *La bouche d'un uaiſſeau*,vt Latinè *Os uaſis*. Necnõ vt *ulceris os* dictum fuit à Virgilio, ſic *La bouche d'un ulcere*, minimè inſolens in noſtro ſermone fuerit. Sed monendus eſt mihi lector,nobis aliam eſſe vocẽ *Gueule*, ex nomine *Gula* factam,qua & de nonnullis animalibus,& de aliis quibuſdam rebus metaphoricè pro ore vtamur:veluti quum dicimus *La gueule d'un four*.

Lingva in ſermone noſtro parua immutatione eſt *Langue*.Nos *mauuaiſe langue* pro maledica dicimus.Quid? an itidem malam linguam(nam *mauuaiſe* ſonat *mala*) vocare licebit eam quæ eſt maledica?Licebit profectò, nec deerunt ex vno eorum qui non paruæ in Latinitate ſunt autoritatis,exempla.Exiſtimabunt autem nonnulli (ſat ſcio) me,quum hoc dico, ad Virgilij locum reſpicere,Ecloga vii, — *ne uati noceat mala lingua futuro* (quoniam audiui qui malam linguam ita eo in loco exponerẽt) ſed abſit vt Latinitatem non ſuſpectã expoſitione illa,nõ ſolùm ſuſpecta,ſed apertè falſa, iis quidem qui locum ipſum conſiderarint,confirmare velim. Imò is quem me autorem habere dico,eſt Ouidius. Sed ex eodem,quod huc pertinet,& magis etiã mirum videri poteſt, proferam. Vt enim

dicimus Gallicè, *Il ne peut tenir ſa langue*, de eo qui maledicus aut alioqui garrulus eſt, ita ex eodem poeta, *Tenere linguam non poteſt*, dicere poſſumus. Legimus enim apud eum libro Triſtium 2,

Non fuit opprobrio celebraſſe Lycorida Gallo,
Sed linguam nimio non tenuiſſe mero.

Quinetiam in his verſibus Faſtorum libro 2, extat illud loquendi genus, quod adeo bellè cum noſtro conuenit, vel potius cũ quo tam bella noſtro conuenientia eſt:

—ſæpe illi dixerat Almo,
Nata tene linguam: nec tamen illa tenet.

Fuiſſe autem garrulam, vel, vt ipſe poeta loquitur, λάλην, oſtendunt hæc quæ proximè præcedunt,

Forte fuit Nais Lar nomine: prima ſed illi
Dicta bis antiquum ſyllaba nomen erat,
Ex vitio poſitum.

Nimirum enim quum dicit primam ſyllabam repetitã nomen fuiſſe quod illi propter ſuum garrulitatis vitium impoſitum eſſet, oſtendit fuiſſe vocatam Lalam (quaſi quis λάλην Græcè dicat) id eſt loquacem. Quum autem dico λάλην, non ignoro Græcos λάλον potius in genere etiam fœminino dicere (vt λάλος Ἠχώ, & λάλος Σειρὼ in Anthol. epigramm.) ſed illam terminationem Latinam in hac voce Græca imitor.

Quod tamē quum huc non pertineat,hoc ex iſtis huius poetæ locis noſſe ſit ſatis, *Tenere linguam*, & *Tenir ſa langue*, eodē planè modo & iiſdem penè vocibus à Gallis & Latinis(ſicut alia infinita) dici. Sed hîc monendus eſt mihi lector, vereri me ne,ſi pronomine addito dicat *Tenere ſuam linguā* (quod tamen plerique licere ſibi dicere exiſtiment) minus Latinè loquatur: minus quidem certè eleganter loquuturum eſſe conſtat. Superuacaneum autem fortaſſe fuerit,addere,nos in hoc quoq; cum Latinis conſentire,quòd ſermonem appellemus *langue*:vt *La langue Latine*, *La langue Grecque*.Nā Græcos quoque ſic vocabulo ſuo γλῶττα eſſe vſos,& multos alios in ſermone vernaculo ſic ea voce vti quæ ſignificationem eandem habet,paucos ignorare exiſtimo.Nos verò non ſolùm illo nomine *Langue*,ſed etiam vocabulo *Langage* id declaramus.

Quinetiam qualis eſt Latini nominis *Linguax* ab illo *Lingua* deriuatio, talis eſt omnino nobis nominis *Languard*,à noſtro *Langue*,deductio.Eſſe autem antiquū hoc vocabulū ex Gellio diſcimus, caput decimumquintum libri primi (quum paulo antè dixiſſet,*Quod genus homines à Græcis ſignificantiſſimo uocabulo λάλους appellatos*)

his verbis claudente, *Neque minus inſigniter ueteres quoque noſtri hoc genus homines in uerba prouectos, Locutuleios, & Blaterones, & Linguaces dixerunt.* Vbi *prouectos* mutandum eſſe in *proiectos* exiſtimo: vt dicātur *proiecti in uerba*, ſicut *proiecti in audaciam*, vel *libidinem*. quanuis præpoſitioni *ad* potius iungi hoc participium fatear. Cæterum hunc Gellii locum ideo protuli quòd multos eſſe ſciam qui tria illa vocabula quibus appellantur illi quos Græci λάλους dicunt, potius tanquam noua; aut ſaltem tanquam ex recentiore Latinitate petita, refugiant, quàm vt à priſcis illius autoribus profecta. Verùm his & quarta potuit à Gellio addi appellatio, qua Plautus loquaces mulieres inſignit, nimirum *Lingulaca*: Qua ex voce ioci etiam occaſionem arripit; cui noſtra lingua perſimilem quēdam habet. Locus eſt in Caſina,

OL. *Vin' lingulacas?* ST. *Quid opus eſt, quando uxor domi eſt?*

Ea lingulaca eſt nobis. nam nunquam tacet.

Quemadmodum enim hîc nomen piſcis à vocabulo *Lingua* deductum ad mulierem linguacem transfert; ſic nos *Becaſſe*, nomen auis, deductum à *Bec*, (quod licet propriè roſtrum ſignificet, interdum tamē de lingua locutuleia dicitur, & præcipuè mu-

liebri) iocoſè de ea quæ lingulaca ab eo vocatur, vſurpamus.

Tuum nunc fuerit lector, meum in aliis etiam quibuſdam corporis partibus, quod ad hanc noſtræ linguæ cum Latina collationem attinet, exemplum ſequi. Inuenies certè quæ tibi Latinitatem non ſolùm minus ſuſpectam, ſed multò etiam magis familiarem reddant. Præſertim verò ſi Plautum quoque euoluere non grauabere, & eorũ quæ apud eum legeris, recordabere, magna mira, ſiue nimia mira (vt verbis illius vtar) circa Latinæ linguæ libertatẽ deprehendes. Apud cæteros ſcriptores (exẽpli gratia) quoſdã nominis *Tergũ* vſus inuenies, quibꝰ reſpõdẽt ii quos noſtrę voci *Dos* ſignificãti *Tergũ*, (factæ alioqui ex *Dorſum*, vel potius *Doſſum*, vt priſci vocabant) tribuere ſolemus. Quorum è numero eſt, *Terga uertere*, de fugientibus è prælio: vt Gallicè *Tourner le dos*. At verò apud Plautũ in promptu nobis eſt vox *Tergũ*, cuidã loquendi generi adhibita, quod planè huic noſtro reſpondet, *Ce ſera ſur ton dos*. Nam illius verbis aptiſsimè hoc dici poterit, *Degetur corium de tergo tuo*: vt nimirum Epidicus ſeruus in comœdia quæ nomen illius præfert, dicit, *Degetur corium de tergo meo*. Sequendæ ſunt enim quæ lectionem

iſtam habent editiones (ex quibus eſt paterna) nõ quæ pro illo nobis dãt *Detegetur*: quum Nonius ipſe illam afferat, poſtquã dixit Degere poſitum fuiſſe etiam pro Detrahere: ſicut antea pro Minuere eundem comicum illo vſum eſſe oſtenderat. *Degitur* tamen apud hunc grammaticum ſcriptum eſt in illo Plauti loco, non *Degetur*: ſed ſiue præſentis ſiue futuri temporis verbum ibi legatur, idem ſenſus erit. Sed iam aliquem audire mihi videor, talia obiicientẽ, Quid? tantáne hîc Latinitatis inopia laboramus vt ſi ſemel ab illa *tergi* appellatione diſceſſerimus, nihil quo iſtud loquẽdi genus exprimi à nobis poſsit, inuenturi ſimus? Imò verò me, ſi miſſam facere illam vocem libeat, habiturum tamen Latina loquendi genera elegantiſsima quæ illi reſpondeãt, dico (nam hoc ſenſu poſſe Latinè dici aio, *Hoc tuo periculo fiet*, item *Hoc in caput tuum recidet*, vel *uertetur*: necnon prouerbialiter, *In te hæc cudetur faba*) ſed quũ illud nomẽ miſſum fecero, minus familiariter loqui, & quodammodo quærere foris quod domi ſit, mihi videbor. At in ſeria oratione, vel epiſtola (dicet quiſpiam) minus locum habebit Plautinum id cuius mentionem facis, quàm aliquod ex illis quæ attuliſti. Hoc ego illi concedo, ſed eandẽ eſſe illius phraſis

phraſis Gallicæ rationem dico, quum in ſeriis aut etiam grauibus ſcriptis alia vtendum ſit: atque hoc duntaxat dari mihi volo, vbicunque gratiam Gallica illa habebit, itidem Latinam quæ ex Plauto petita erit, eſſe habituram. Verùm ecce (vt ſemper aliud ex alio) phraſis quædam noſtra quæ ad hanc claſſem pertinet, mihi in mẽtem venit, de qua eadem quæ de illa dicere mihi licebit. Ea eſt, *Ie ne uoudrois pas eſtre en ta peau*, & Latinè (ſi verbum verbo reddatur) ſonat, *In tuo corio eſſe nolim*. De hac, inquam, dicere itidem non dubitem, inuenturos eſſe nos apud illum comicum aliquẽ vſum nominis *Corium* (quod reſpondet noſtro *Peau*: quum alioqui ſit ex *Pellis* factum, ſicut ex illo *Corium* fecimus *Cuir*) qui ſaltẽ ſcrupulum omnem nobis eximat, & locũ hac etiam in re vocem illam habere oſtẽdat. Quòd ſi etiam non alios vocis huius *Coriũ* vſus haberemus quàm illos qui prouerbiales aut prouerbialibus ſunt ſimiles (nimirum *De alieno corio ludere*, item *De alieno corio cuipiam ſatisfacere*: necnon, *De meo tergo degetur corium*, vel *degitur*) quid vetaret, obſecro, aliquo loquendi genere cui adhibita illa eſſet, Gallicum illud exprimere? Ac, ne longum faciam, in ſerio quidẽ ſcripto, pro illis Gallicis, *Ie ne uoudrois pas eſtre*

en ta peau, dicerem, *Nollem tuo eſſe loco*, vel *Nollem rem meam agi*, *Res meas eò eſſe adductas*. vel (propius ad illa accedendo, magíſque illorum ſententiam reſtringendo) *Nollem in eandem aleam ueniſſe*, ſiue *Nollem in eadem eſſe naui*: in aliquo, inquam, ſcripto, quod ſerium eſſet, vno ex his loquendi generibus, præſertímque ex poſterioribus, aut quopiam illis ſimili vtendum eſſe cenſerem: at verò in iocoſa quapiam epiſtola, vel oratione, dicere non dubitarem, *Meum corium tuo permutare nollem*, & Plautũ ipſum, ſi rediret, meam hanc Latinitatem vtroque pollice laudaturum exiſtimarẽ.

CAPITIS PRIMI PARS TERTIA.

QVONIAM verò multa Latinitatis falsò ſuſpectæ exempla in aliis etiam pleriſque nominibus extant, quæ ad res alias, & eas quidem varias, pertinent, horũ quoq; nonnulla proferre in certas claſſes diſtributa viſum eſt. Atque vt in prima quædam iuriſconſultorum vocabula ponãtur (non tantùm nomina, ſed etiam verba) qui à nobis dicitur *Iuge competent*, cum bona eorum venia, & nominatim quidẽ Scæuolæ & Vlpiani, *Iudex cõpetens* Latinè loqui volenti dicetur. Quid verò ſi contraria,

Iuge incompetent, & *La competence* vel *incompetence de iuge*, Latino efferre ſermone oporteat? an expectandum alicui erit dum & hæc apud illos inuenerit? Nimium certè hoc timidi ſeu verecundi, aut etiam analogiæ ignari, fuerit. Scio tamen virum quendam doctiſsimum pro his quidem *Iuge competent*, dixiſſe *Iudex competens*, & *Iudex legitimus*: at pro illis *Iuge incompetent*, auſum tantùm fuiſſe dicere, *Iudex nō legitimus*. At ego tātum abeſt vt *Iudex incompetens* dicere verear, vt *incompetentiam* ei ſim audacter additurus, & *Allegare incompetentiam iudicis*, pro his *Allegner incompetence de iuge*, Latinitatē eodem Vlpiano dignam eſſe ſim exiſtimaturus. Sed veniendum eſt ad alia. *Aduocat* igitur nobis alium non eſſe quàm eum quem Latini *aduocatum* vocāt, ſatis notum eſt: at noſtrum *Procureur* (vt eo vtimur in foro) rectius *cognitorem*, quàm *procuratorem* dici, noſſe etiam oportet. Illa autē noſtra generalior appellatio *Pratticiens*, nō dubiū eſt quin voci *Pragmatici* reſpondeat, quam à Græcis ſumpſerunt Latini: & dicamus *Pratticiens* quaſi *Pragmaticiens*: quanuis vulgò credatur ita dici quaſi practicos, id eſt πρακτικούς: in praxi videlicet non in theoria verſantes. Nec verò nobis pro *Actiō* quærēda vox alia eſt quàm *Actio*. nec pro *Actiō*

perſonnelle fuerit nefas dicere *Actio perſonalis*: quanuis mollius ſit *Actio in perſonam*, vt *Actio in rem*, pro *Actiō reelle*. Ac pro eo quod dicimus *Action criminelle*, crimen fortaſſe non fuerit dicere (ſi Gallicam vocem vnā reddere vna Latina oporteat) *Actio criminalis*. Quanuis enim *Criminoſus* valde ſit vſitatum, tamen *actionem criminoſam* cum quibuſdam nequaquam dixerim, donec mihi autorem idoneum laudauerint. At verò *Actio ciuilis*, pro *Action ciuile*, extra controuerſiam eſt: necnon *Actio petitoria*, pro *Actiō petitoire*. Atque vt *Actiō* pro *Actio*, ſic *Acteur* pro *Actor* dicimus (qui alioqui vocatur etiā *Le demandeur*: quod reſpondet nomini *Petitor*) *Defendeur* pro *Defenſor*: alicubi verò & *Ree* in vſu eſt pro *Reus*.

Sic *Contract* nobis eſt qui & Latinis *Cōtractus*: item *Pact* & *Paction*, quod illis *Pactum* & *Pactio*. item *Tranſaction*, quæ illis *Tranſactio*, & *Deciſion*, quæ illis *Deciſio*. Sic *Compoſition*, quæ illis *Compoſitio*. Eadémque in verbis vnde manarunt hæc nomina, hiſce linguis eſt inter ſe cōuenientia. *Tranſigere* pro *Tranſiger*: & *Decidere* pro *Decider*: (interdum autem hoc cum illo proximè præcedente copulatur, & quidem apud ipſum etiam Ciceronem) & *Cōtrahere* pro *Contracter*: & *Componere* pro *Compoſer*, id

eſt *Faire une compoſition, Faire un accord.* Sed vt apud nos,ſic & apud illos,in bellicis potius aut alioqui grauioribus diſcordiis locum hoc poſtremum verbum & eius verbale habent. *Vn contract conditionel*, itidẽ vocibus penè iiſdem *Contractus conditionalis*: contrarium autem, *Contract pur & ſimple*, *Contractus purus*. Ita enim *purum* apud iuriſconſultos *conditionali* oppoſitum inuenitur.

Legat, vel *Leg*, quod illis ſit *Legatum* (ſicut *Teſtament* eſt quod *Teſtamentum* vocant) necnõ *Legataire*, illum eſſe qui *Legatarius* ab illis nominetur, vulgo etiã notũ eſt: ſed non itidem animaduertunt multi, quod *Preciput* à nobis dicitur in iis quæ legantur, id eſſe quod *Præcipuum* illi dixerint (ita vt *En precipu*, vel *Par precipu*, ſit *Præcipui titulo*) & alio nomine *Per præceptionem legatum* appellarint.

Inuentarium quoque Latinitati iuriſconſultorum debemus pro eo quod voce paulum immutata *Inuentaire* vocamus. Niſi fortè quiſpiam ſuſpectum eius vſum habeat, ex hoc Vlpiani loco, *Tutor qui repertorium non fecit, quod uulgò inuentarium appellatur, dolo feciſſe uidetur: niſi fortè aliqua neceſſaria & iuſtiſſima cauſa allegari poſſit, cur id factum non ſit.* Verùm ſi Ciceroni alterum

tro horum vtendum fuiſſet,nõ minus hoc quàm illo (vt opinor)illi vti placuiſſet.

Caſus omittẽdũ hîc nõ eſt,pro eo quod facta ſyncope dicimus *Cas*. Ita enim *In eo caſu* dicunt,vt nos *En tel cas*,vel *Tel cas aduenant*. Verùm & alii quàm iuriſconſulti ſic loquuti eſſe comperiuntur.

Proximitas quoque minimè ſuſpectum eſſe debet, in ea etiam ſignificatione qua dicitur à nobis *Proximité*,pro cognatione. Ita enim & Naſo eſt vſus, Metam. *Aut ſi proximitas primúſque requiritur hæres*.

Quod dicimus *Biens meubles*, acceptum eorumdẽ ſermoni ferre debemus.Ita enim & ipſi *Bona mobilia* vel *Res mobiles* vocant. Poſſumus tamen & *Res mouentes*,ex iiſdem, necnon ex Liuio, appellare. Quin autem viciſsim *Les immeubles* rectè dicantur *Res immobiles*,minimè dubium eſt. Poſſunt tamẽ & *Res ſoli* appellari. Verùm hîc omittendum non eſt, vocem *Poſſeſſio* inueniri etiam ita in prædii ſignificatione, ſicut apud nos *Poſſeſſion*: & quidem apud alios etiam quàm iuriſconſultos, nominatímq; ipſum Ciceronem, cùm alibi tum in Philip.item in Epiſt.ad Valerium,lib.13, *Is habet in Volaterrano poſſeſſionem*. Idem ad Att. lib.6, *Feci iter per eius poſſeſſionem, in qua animal reliquum nullum eſt*. Adeóque placuit

illi nomen hoc pro prædio vſurpare, vt diminutiua forma *poſſeſſiunculas* pro prædiolis dicere itidem non dubitarit. Et quoniam in hunc ſermonem incidi de Ciceroniano verbalis iſtius vſu, qui cum noſtro bellè conuenit, non omittam & quendam ipſius verbi *Poſſidere* vſum eiuſdem ſcriptoris (licet alioqui minus huc pertinentem) quòd & rarus ſit, atq; à paucis, vt opinor, obſeruatus, & magna tamen in hoc quoq; linguæ Latinæ cum noſtra ſit conuenientia. Sciat enim lector Gallus, aut certè Gallicæ linguæ peritus, quemadmodum dicit, *Poſſeder un homme*, pro Amiciſsimum ſibi habere, & ad omne amicitiæ officium paratiſsimum, ita Ciceronem dixiſſe *Poſſidere hominem*: in hoc loco Verr. 5, *Quibus rebus Apronius non ſenſim atque moderatè ad iſtius amicitiam arrepſerat, ſed breui tempore totum hominem totámque eius præturam poſſederat.*

Nomini *Tabellion* exprimendo nō aliud quàm *Tabellio* eſſe quærendum dico, licet hoc apud recentiores tantùm ſcriptores inueniri exiſtimem. At de vocabulo noſtro *Notaire* quid dicendum eſt? an pro eo vti Latino *Notarius* nō licebit? Equidem à multis iſtud repudiari ſcio, atque ex his nonnullos eſſe qui ne Latinā quidem eſſe hanc vocem arbitrentur. Verùm hos Pli-

nii iunioris & Martialis loci ſtatim refellere poterunt: ad eos verò quod attinet qui Latinam quidem eſſe, ſed non in hac ſignificatione, dicunt, quòd nimirum notarii notis (à quibus etiam nomen acceperunt,) vterentur πρὸς τὸ ταχυγραφεῖν, & ex illorũ genere eſſent quos Græci ταχυγράφους appellarunt (vnde *notarius uelox* à Martiali dicitur, & ab eodem illa ταχυγραφία ita deſcribitur,

Currant uerba licet, manus eſt uelocior illis:
Nõdum lingua, ſuum dextra peregit opus.)

ad eos, inquam, quod attinet, ita habendũ eſt, nos, ſi tã religioſi eſſe velimus vt propterea voce hac abſtineamus, fore vt legẽ iniquam in nos ſanciamus, quæ nos eadẽ opera multis aliis vocabulis, quæ magno ab omnibus conſenſu recipiuntur atque vſurpantur, abſtinere cogat: adeo quidem vt nec *libros* vocare quos dicimus *liures*, licitum futurum ſit, ſi res ita ad viuum reſecetur: quum videlicet iſti non in libro, id eſt cortice, ſcribantur: imò nec ſcribantur, ſi propria huius verbi ſignificatio ſpectetur, ſed (vt vulgò loquimur) excudantur. Poſsit verò & aliud obiici, quod alicui fortaſſe maioris eſſe momenti videatur: nimirum apud illos quos dixi, fieri potius mẽtionem ταχυγράφων, quos ſibi priuatim plerique haberent: quũ apud nos munus eorũ

qui *notaires* appellantur, ſit publicũ:deinde non excipere eos quæ dictentur,ſed potius omnia ſuas ad formulas, tanquam ad normam, dirigere: nec verò animi etiam gratia quædam ab illis ſcribi, ſed ea tantùm quæ ad conſeruanda inter homines commercia vitæque ſocietatem,requirantur. Talia,inquam,obiici poſſe ſcio, & propterea vſum huius nominis in dubium vocari. Ego pertinacius de recipiẽdo hoc vocabulo contendere minimè volo:ac tãtùm dico,ſi huius vſum refugiamus, mirũ eſſe cur aliis pleriſque vti non dubitemus, quũ maiorẽ etiã catachreſin in illis nobis permittamus. Iam igitur aliò trãſeũdũ cẽſeo:ſi prius de appellatione *formulæ*, quã paulo antè vſus ſum,lectorem monuero, eam quoque, inter forenſes, ad noſtri ſermonis vſum tranſiuiſſe, nec aliam ad declarandum quod vocamus *formule*, quærẽdam eſſe. Addo etiam,inde deductum nomen *Formularius* apud Fabium extare:libri 12,capite 3, *Quorum alij ſe ad album ac rubricas tranſtulerunt: & formularij,uel* (*ut ait Cicero*)*leguleij quidam eſſe maluerunt.* An verò & vox *Formularium*,pro eo quod dicimus *vn formulaire*,ſcriptoris alicuius non contemnendi autoritate nitatur,alii viderint. Poteſt certè *Formula* hîc quoq; locũ inuenire.

In illo autem Fabii loco conſidera & *rubricæ* appellationem, cuius Latinitatem plerique ſuſpectam habent: multo ſaltem Fabii ætate poſterioris eſſe Latinitatis arbitrantur. Sciendum eſt autem Perſium quoque vocabulo iſto eſſe vſum Satyra 5,

Vindicta poſtquam meus à prætore receſſi,
Cur mihi non liceat iuſſit quodcunque uoluntas,
Excepto ſiquid Maſuri rubrica uetauit?

Hic enim Maſurius Sabinus, cuius fit mentio, iuriſconſultus fuit. Etſi autem iuriſconſultorũ officiũ cõſumebatur potiſsimũ in iure ciuili & priuato enucleãdo, (vt doctè annotat Turnebus) tamẽ iidẽ ius publicũ in legum ſanctionibus poſitum explicabant: quod rubricæ nomine hîc intelligẽdum videtur. Nam quanuis iuriſconſulti hodie ob miniata capita ſui iuris, rubricas in ore habeant in iure tã priuato quàm publico, tamen veteres in publico legitimóque rubricas poſuiſſe videntur: vt maieſtas legibus accreſceret, capitibus earũ ſinopide aut cinnabari notatis & inſignitis, & ſanguineum quiddam & cruentum fortaſſe minantibus. Atque his ſubiungit idẽ hunc Prudentij locum, quo ſuam ſententiam confirmet,

— dicant cur condita ſit lex
Bis ſex in tabulis, aut cur rubrica minetur

Quæ prohibet peccare reos.

Quintilianus quoque(inquit) non de iure prætorio ſed de duodecim tabulis rubricas intelligit: non tamen tantùm vbi criminibus minantur pœnas: quum credibile ſit omnia earum capita milto picta fuiſſe. Et allato illo eius loco quem paulo antè protuli, album pro prætorio iure ab illo dictum eſſe ait, rubricas autem pro iure ciuili, quod duodecim tabulis cōtinebatur: itidémque formularios ad prætorias regulas retuliſſe, leguleios ad duodecim tabularum leges. Hæc illius viri doctiſsimi eſt hoc de loco ſententia: cui neſcio an aſſentiri in eo oporteat, quòd hîc formularios à leguleiis ſeparare Fabium exiſtimat. In eo quidem certè nequaquam aſſentior, quòd rubricas à veteribus poſitas fuiſſe ſuſpicatur, non tātùm vt maieſtas legibus accreſceret, capitibus earum ſinopide aut cinnabari notatis atq; inſignitis, ſed etiam vt ſanguineum quiddam & cruētum minarētur. Adhibitum enim fuiſſe à librariis cinnabari iis quæ velut ſeparari ab aliis volebant, & hoc velut ſigno internoſci, cùm ex variis tam Græcis quàm Latinis veteribus libris quos in Italiæ bibliothecis vidi, colligo, tum verò ex quodam loco epiſtolæ Euſebii ad Carpianum, quæ præfixa eſt

Canonibus τῆς τῶν εὐαγγελιστῶν συμφωνίας. Ibi enim inter alia hæc legimus, Καθ᾽ ἕκαστον δὲ ἀριθμὸν ὑποσημείωσις διὰ κινναβάρεως πρόκειται, δηλοῦσα ἐν ποίῳ τῶν δέκα κανόνων κείμενος ὁ ἀριθμὸς τυγχάνει. Sed de rubrica hactenus, aduerſus eos qui hãc vocem pro barbara potius quàm Latina habent: fortaſſe quoniã ne Gallico quidem ſermoni ignotum eſſe vident iſtud vocabulum. Nam (vt antea etiam oſtendi) multas voces lingua noſtra ſuſpectas (aut ſaltem magis ſuſpectas) reddit: quaſi videlicet Gallicæ linguæ vſus præiudicium quoddam eſſet. Hinc etiam factum eſſe puto vt adiectiuum *Amicabilis*, quod apud Vlpianum legitur, à nonnullis barbarum iudicatum ſit: & quodammodo Gallicolatinum (quum à nobis dicatur *Amiable*: & *Compoſitio amicabilis* ſit nobis *Cõpoſition amiable*, vel *Accord amiable*) & pro *affectionem amicabilem* maluiſſe *affectionem amicalem* legere, vt in Pandectis Florentinis ſcriptum eſt. Quid? an Plautum etiam Gallicolatina voce vſum eſſe dicẽt, quum *operam amicabilem* dixit? Sed nimirum danda illis venia eſt, quum apud Plautum extare hãc vocem ignorauerint. neque enim, vt opinor, alteram illam, quæ nullius idonei ſcriptoris autoritate (quod ſciam) nititur, prætuliſſent. Neque verò in nonnullis

tantùm vocabulis (vt etiam in verbo *Conuenire* paulo pòſt oſtendam) ſed & in quorundam terminationibus priſcam Latinitatem amaſſe inſignes illos iuriſconſultos, vel hoc, quod illis frequentiſsimum eſt, *Damnas* pro *Damnatus*, ſatis teſtatur.

Fateor alioqui eſſe etiam quædam iuriſcõſultorum vocabula, quibus noſtri abuſi potius quàm vſi eſſe dicendi ſint. Quorum è numero eſt *Cautela*. ſic tamen fortaſſe excuſare nos poſſumus de illo quẽ huic voci damus vſu, vt dicamus *ad cautelam iuriſconſultorum* Gallica etiam cautela (pronuntiamus *Cautele*) plerunque opus eſſe. Vulgò autem Galli qui Latinæ etiam linguæ ſunt periti voces iſtas *Ad cautelam* ſuis inſerere ſolent: dicentes (verbi gratia) *Cela eſt faict ad cautelam*. At verò de noſtro vocabulo *Brocard* quid ſentiendum eſt? an ab illis quæ *Brocardica* recentes iuriſcõſulti appellarunt (quo etiam nomine quidam libros ſuos inſcripſerunt) nos illud ſumpſiſſe? Imò verò magis ardua eſt hæc quæſtio, pluréſq; (vt loquũtur) dubitãdi rationes habet, quàm vt à me ſolui poſsit. Atq; adeò hæc veræ brocardicæ materiei ſunt: ſi quidem verum eſt *brocardicam materiã* dici quæ eſt contrariarum opinionum rationibus inuoluta, vt Alciatus ſcripſit.

VERVM vt à recentioribus iuriſconſultis ad veteres aut ſaltem minimè recentes redeam, atque vt in Nominibus exempla nonnulla propoſui, ita etiam in Verbis quædam proponam: quotuſquiſque illorum qui vtriuſque linguæ ſunt periti, ſed in veterũ iuriſcõſultorum ſermone minimè verſati, aut certè illius obliti, ſi rogetur vt Latinè dicat quod Gallicè dicitur *Conuenir quelcun*, non quærat procul quod in proximo habet? Quid dico? imò verò quærat quod iam inuenit, ſed ſe inueniſſe ignorat. Si enim ex iſto *Cõuenir* faciat *Conuenire*, Gallicũ verbũ in Latinũ mutauerit: ſi quidem ſatis Latinè Paulum, Papinianum, Vlpianum, loquutos eſſe exiſtimamus: qui etiam paſsiuo *Conueniri* vſi fuerũt. Sed quid ego non potius Plautum, quem hîc quoque illi imitati ſunt, autorem laudo? Sed hic *Conuenire in ius* dixit in Moſtellaria, ſicut nos cum adiectione etiam dicimus interdum, *Conuenir quelcun en iuſtice*: an verò & abſque adiectione illa vſus fuerit, adhuc mihi quidem incertũ eſt. Credibile eſt certè illos breuitatis cauſa, præſertim quum ſæpe vtendum hoc verbo eſſet, adiectionem illam reieciſſe.

Habemus verò & *Citer*, quod è Latino itidem ſermone petitum eſt: adeo vt ſiquis

pro *Citer* dicat *Citare*,parua immutatione Latinũ verbum è Gallico ſit facturus. Sed hoc multis notum eſſe poteſt : at pauci forſtaſſe norunt quod addam : quemadmodũ dicere ſolita eſt noſtra lingua, *Vn adiournement libellé*, item *Adiourner par exploict libellé*, ita Plautũ dixiſſe *Libello citare*. Ita enim Phædromus adoleſcens, in eius Curculione,

> *Vbi tu es, qui me conuadatus Veneriis uadimoniis?*
> *Vbi tu es, qui me libello Venerio citauiſti? ecce me:*
> *Siſto ego tibi me, & mihi contrà itidem ut ſiſtas ſuadeo.*

Præcedẽtibus verbis (ſi quidem efferantur paſsiua voce) ſimile eſt, quod ad ſignificationem attinet, *Eſter* : quum dicimus *Eſter en iugement*. hoc autem *Eſter*, eſt profectò Latinorum verbum *Stare*: nec aliud eſt *Eſter en iugemẽt* quàm *Stare in iudicio*. Hoc autem eo diligentius obſeruandum eſt, quod Gallicum illud corruptum alioqui videri poſſit: & verò quoſdam hoc de illo ſuſpicatos eſſe ſciam.

Alia multa ſunt verba noſtratia, in quib⁹ parua cum immutatione, Latinitatem quę minimè ſuſpecta eſſe debebit, inueniemus. Ex iis in memoriã nunc mihi veniũt

iſta, *Emanciper*, ex Latino *Emãcipare*: & *Subhaſter*, factum ex *Subhaſtare*: item *Stipuler*, ex verbo *Stipulari*: & *Sequeſtrer*, ex verbo *Sequeſtrare*. Atque vt è noſtris ſunt verbalia *Emancipation*, *Subhaſtation*, *Stipulation*, *Sequeſtration*: ſic ex illis Latinis ſunt, *Emancipatio*, *Subhaſtatio*. *Stipulatio*, *Sequeſtratio*. Sed pro poſtremò illo *Sequeſtrare*, qui paulo ſunt antiquiores vidẽtur maluiſſe dicere, *Apud ſequeſtrũ deponere*, vel *ſequeſtrem*. Priſca autem Latinitas dixit etiam *Sequeſtro ponere*, teſte Gellio.

Poſsit verò his addi & *Cõpromettre*, vnde *Vn compromis*: vt *Cõpromittere* apud Latinos, ex quo *Compromiſſum*.

Nonnulla etiam ſunt è Latinis verbis, ſed recentioris & ignobilioris (vt ita dicã) Latinitatis, petita. vt *Lettres compulſoires*, *Compulſoriales literæ*. Minus autem receptũ eſt *Compellir*, ex *Compellere*.

QVIBVSDAM denique vocabulis vtimur ex iis etiam quæ Latini iuriſconſulti à Græcis ſumpſerunt: inter quæ eſt *Authentique*: nimirum ex *Authenticus*, ſicut hoc ex αὐθεντικός. quod adiectiuum factum eſt ex ſubſtantiuo αὐθέντης, non ad primam & veterem huius ſignificationem ſed ad recentiorem reſpiciẽdo, vt in Theſauro meo docui: vbi etiam de illo quem apud iuriſ-

conſultos

conſultos habet vſu, aliquid dixi: ſimúlque & vſum aduerbii *αὐθεντικῶς* ex duobus Ciceronis locis attuli. Sed ſubuereor ne vtrobique hoc aduerbium in alius cuiuſpiam locum irrepſerit: víxque id ſubuereri deſinā donec huius ſignificationis exemplū apud aliquem qui Ciceronė poſterior non fuerit, nactus ſim. Sed vndecunque iuriſconſulti illum nominis *Authenticus* vſum acceperint, nos in hac quoque voce illos imitari dico, quinetiam latius ſignificationem eius extendere: nec verò nomine *Authentique* contentos eſſe, ſed hinc aduerbium etiam *Authentiquement* formare, necnō verbum *Authentiquer*. In hac autem mentione vocum Græcarum quas cum iuriſcōſultis communes lingua noſtra habet, (ſiue ex eodē fonte hauſerit, ſiue per illorū manus habuerit) omittendū nō eſt nomē *Syndic* ſiue *Syndique*. ex quo fecimus non ſolùm aliud nomen *Syndicat* (ſicut ex nomine *Syndicus* deductum fuit *Syndicatus*) ſed etiā *Syndiquer*: in quo audaciores quàm illi ſumus. neque enim *Syndicare* auſi ſunt (quod ſciam) dicere. Verùm hoc in verbo aliquantum ab illorum nominum ſignificatione deflectimus. Sunt enim *Σύνδικοι*, *Syndici*, *Syndiques*, qui boni publici cauſam ſimul agunt (ita enim mihi videor ad ipſum etiam

Græcæ vocis etymum penetrare) & ius publicum modis omnibus defendunt. Atque adeò nonnullis in locis nomen id obtinẽt non alii quàm quos per periphraſin vocaremus *Les procureurs d'une communauté*: vel quales etiã erãt qui vocari ſolebãt *Les deputez*: quum poſtea hanc appellationẽ latius extenderimus. Itidémque *Syndicat* vocatur munus ſyndici, ſiue functio, *L'office de Syndique*. at verò *Syndiquer quelcun*, eſt quod Græci dicebant εὐθύνειν, Rationem eorum quæ in magiſtratu fuerunt adminiſtrata, repoſcere: & viciſsim *Eſtre ſyndiqué*, εὐθύνας διδόναι, Rationem illorum reddere: quod quidam Gallicolatino ſermone dixerunt *Syndicari* & *Syndicatum ſubire*. Manarunt autem hæc ex eo more quo iudices olim, finito ſui magiſtratus tempore, tenebãtur, in eadem prouincia vel vrbe in qua magiſtratum exercuiſſent, per quinquaginta dies commorari: in quibus liceret cuiuis & adminiſtrationis & vitæ etiam rationẽ eos repoſcere. Talis autẽ ferè mos ſeruatus à Græcis fuit in iis qui διαιτηταὶ vocabãtur, vt ſcribit enarrator Demoſthenis.

Enimuero non ſolùm quædam vocabula Græca cum Latinis iuriſconſultis communia habemus (quædã verò & cum aliis ſcriptoribus: inter quæ eſt *Tauxer*, *Taxare*,

Τάξαι) ſed nonnulla quoque nobis peculiaria. Quo etiam magis dubito an & illa de quibus modò diſſerui, ac quædam alia, ipſimet à Græcis ſumpſerimus, an per manus eorum ad nos peruenerint. Sed hanc quæſtionem in medio relinquens, venio ad verbum *Exomnier*, quod vnum eſt eorũ quæ nobis eſſe peculiaria dixi. Sciendum eſt igitur noſtrum *Exomnier* (pro quo vulgus pronuntiat etiam *Exonier*) eſſe ex Græco ἐξόμνυσθαι. Hanc autem verbi iſtius è Græca lingua mutationẽ primus indicauit vir huius ipſius linguæ doctiſsimus, Budæus: ſcribens à nobis dici *Exoniare* (*Exonier* pro *Exomnier*) iureiurando excuſare eius abſentiæ cauſam, qui vadimonio obſtrictus eſt, quaſi ἐξόμνυσθαι: & *Exoniatos* (*Exoniez* pro *Exomniez*) vulnere aut mutilatione cauſarios, qui detrectare iure militiã poſſunt. Animaduertendũ eſt igitur nos latius etiã extendiſſe vſum huius Græci verbi, paſsiuam vocem illi dantes. Ponendũ eſt hoc in numero & verbum *Enditer* pro *Endicter*, quaſi ἐνδεικτεῖν dicas, verbum hoc ex nomine ἐνδείκτης (id eſt *Enditeur*, vel potius *Endicteur*) faciens. Alioqui ἐνδεικνύναι ab illis dicitur. Sunt autem *Endicteurs*, ſicut & Græcis ἐνδεῖκται, qui velut artem factitant τῶ ἐνδεικνύναι: qui nimirum delationes factitãt,

ideóque Quadruplatores vocari queunt, ſiue Sycophantæ: ſicut interdum συκοφάνται & ἐνδεῖκται copulantur. An verò pulcherrimum illud verbum noſtrum *Epicaizer* hîc tacebo? Imò verò piaculare propemodum eſſet hoc loco meum de voce illa tam eleganti támque apta ſilentium: præſertim quum in ea ipſorum Græcorum ſuperaſſe quodammodo diligẽtiam dici poſsimus. Quum enim hi ex ſuo nomine ἐπιείκεια nullũ verbum deduxerint, nos contrà, quũ pro *Epiikie* (ex voce *Epiikia*) feciſſem' *Epicaie* (hãc opponentes illi ſummo iuri quod ſummã ſæpe iniuriam eſſe Terentius quoq; teſtatur) nomine hoc non contenti, ex eo verbũ *Epicaizer* deduximus. quod eiuſmodi eſt vt exponi niſi periphraſi non poſsit. Eſt enim (vt rectè vir ille doctiſsimus explicat) Ex æquo & bono ſtatuere, Ex bono & æquo arbitrari, ſeu cenſere, vel æſtimare, aut conſtituere. Quod ſi nobis permittamus vno verbo dicere (inquit) *Epiikizare* dici debet, non *Epicaizare*. Quum autem ſubiũgit, Ἐπιεικάζειν dicitur & ex fide bona ſtatuere apud antiquos: hinc contractus bonæ fidei dicti, à ſtricti iuris cõtractibus diſtincti: quum (in quã) hæc dicit, nequaquã hoc verbo ἐπιεικάζειν, tãquã quod ex ſcriptore quopiam ſit petitum, vti exiſtimandus eſt,

ſed tanquam à ſe ficto pro illo *Epicaizare*. Qua de re moneo, nequis me temerè illud de ſuperato à nobis in hac voce Græco ſermone, dixiſſe exiſtimet. Ad hanc claſſem pertinet etiã *Greffier*, quũ dictum ſit quaſi γραφεὺς, id eſt ſcriba. quũ alioqui is qui munere illo fungitur, à Græcis vocetur potius γραμματεύς. Habemus ab iiſdem & vocem illam *Sœdule*, pro Apocha. dicitur enim *Sœdule* pro *Schedule*, ex σχέδη. Sed & *Les chartres* quidam ex χάρται (Latinè itidem *Chartæ*) deducunt. At verò vocabulũ *Breuet* (quo cùm aliis modis vtimur, tum verò vbi dicimus, *Ie n'en ay ni ſœdule ni breuet*) imitatur Latinũ *Breue*. Neq; verò *Breue* tantùm ſed *Breuis* etiam ſubſtantiuè poſitũ inuenitur.

Sed inter voces illas forenſes quas à Græcis accepimus, omiſſum eſt & quod ex Homero petitum eſt Græcorum fortiſsimi nomen, nimirum *Achilles*: quo pragmatici noſtri ſic vtebantur vt vocarẽt *l'Achilles de la cauſe*, quod eius velut propugnaculũ ſeu arx quædam erat, non ſecus ac Achilles erat ἕρκος Ἀχαιῶν: quæ laus & Aiaci Telamonio tribuitur. Quid verò? an ſiquis *Achillem cauſæ* dixerit itidem, in Latinitatem deliquiſſe cenſendus erit? Me quidem certè iudice, non ſolùm rectè, ſed lepidè etiam, vt in Gallico ſermone *L'Achilles de la cauſe*, ſic

in Latino, *Achilles cauſæ*,& in Græco ὁ Ἀχιλλεὺς τῆς δίκης,ab eo qui vellet ἀστεΐζεσθαι, dici poſſet: atque hoc ne criticis quidem illis, Dionyſio Halicarnaſſeo,Hermogeni,Dionyſio Longino,diſpliceret:ſed alius γλαφυρὸν,alius γοργὸν,vel σφοδρὸν,alius fortaſſe παρακεκινδυνευμένον eſſe diceret. Eodem autem modo noſtrum *Pindarizer* poſſe dici πινδαρίζειν conſtat:quídni verò & *Pindarizare* fingi poſſe exiſtimetur?

VOCES etiã pleraſq; ad ſupplicii ſignificationem pertinentes (aptè enim hæ illis forenſibus ſubiunctum iri videntur) ex Latinorum lingua habemus:ita vt parua immutatione ex noſtris Latina facere poſsimus. Iam primùm illam ipſam vocem *Supplicium* ferè integram retinemus in noſtra voce *Supplice*. Vt vocamus *La queſtion* (quã Græci βάσανον) tormenta quæ adhibentur ad eruendam veritatem,ſic *Quæſtionem* dicere debemus quũ Latinè loqui volumus. Quod nos *Suffoquer*,illi *Suffocare*:quod nos *Eſtrangler*,illi *Strangulare*, ex Græco ſermone mutuati:quod nos *Lapider*,illi *Lapidare*: quod nos *Decoller*,illi *Decollare* dicunt. Quã uis enim multi Latina duo hęc poſteriora non eſſe arbitrentur,ſuos tamen autores habẽt.Quinetiã *Collare* pro noſtro *Collier* in vtraque ſignificatione, Latinũ eſt. Superuacaneum autem fuerit fortaſsis admo-

nere, hæc etiam, *Venger*, *Punir*, *Chaſtier*, aliis quàm his, *Vindicare*, *Punire*, *Caſtigare*, interpretari neceſſe nos nōn habere. Quinetiam hæc quæ velut præcedunt illa, *Reprēdre*, *Calomnier*, *Deferer*, *Accuſer*, *Conuaincre*, *Condamner*, *Abſoudre*, eſſe eā ipſā quæ Latini dicant, *Reprehendere*, *Calumniari*, *Deferre*, *Accuſare*, *Conuincere*, *Condemnare*, *Abſoluere*: ſic etiam hæc, *Vn crime*, *Vne calomnie*, *Vn opprobre*, *Vne infortune*, eſſe quæ illi vocent, *Crimen*, *Calumniam*, *Opprobrium*, *Infortuniū*, pauci ſunt fortaſſe qui nō animaduertant. At verò quoddā eſt vocabulum huc pertinens, quòd ſi non omnino Latinitate excludendum eſſe dixero, multis admirationem me moturum eſſe ſcio. Id autem eſt *Vn accident*. quis enim itidem dictum fuiſſe *Accidens*, & *Accidētia*, *Des accidens*, crediturus eſt? Qui tamen illa voce ſic vtetur, non ſine exemplo loquetur. Legimus enim in vna ex declamationibus quæ Fabio adſcribuntur, nimirū in AEgro redempto, *Hic nanque robuſtus ac patiens, nō molliri proſperis facilè, non accidentibus frangi.* Sic *Accidentium meorum*, in eadem. necnon in aliis declamationis eiuſdem locis. Cuiuſcunq; autem hæc ſit, ſicut & cæteræ (nā Fabio falsò adſcribi & ipſe fateor) nō adeo paruam eius eſſe autoritatem puto, vt ſuſpe

ctus nihilominus hic vocis iſtius vſus eſſe debeat: licet eum me valde mirari & non temerè velle imitari, minimè inficias eam.

VERVM vt ad alias aliorum nominum claſſes veniam, & breuitatis cauſa in vnaquaquę mentionem quorundam duntaxat faciam quæ in ſuſpicionē venire memini: vidi qui *Cortem* ſeu *Chortem* pro illa domus parte quam vocamus *Court*, Latinū eſſe non putarent, quum tamen Latiniſsimū ſit: & pro eodē dicatur *Cohors*. Quinetiam *Granarium* pro *Grenier* (pro quo mendoſè plerique è vulgo pronuntiant *Guernier*) vidi qui ſuſpectum haberent.

Inter illa verò quæ ad ſupellectilem pertinent, ſcio quoſdā vocem *Scabellum* nihil minus quàm Latinā exiſtimaſſe: quū tamē apud Ciceronem etiam inueniatur: & ipſa quoque deductio Latinā eſſe oſtendat: quū ſit à ſubſtantiuo *Scamnum*, dicta quaſi *Scānellum*. Videtur tamen & Ficino in Platonis interpretatione hoc in mentem non veniſſe, ideóque *ſubſellium* dicere maluiſſe. Nec dubium eſt quin ſuſpecta multis futura ſint & iſta vaſorum nomina, *Tina* pro *Tine*: item *Corbis* pro *Corbeille*: necnon *Cophinus* pro *Cophin*, & *Cadus* pro *Caque*: quæ duo à Græcis ad Latinos tranſierunt.

Quid? an etiam *Phiala* hoc in numero po

nendum eſt? & *Phiala*, pro *Phiole*, ſuſpectũ eſſe non debere dicẽdum? Eſſe qui ita interpretentur non ſum neſcius: ſed interpretationem ſuam probare mihi non poterũt, niſi fidẽ faciant eius quod ſcribunt, omnia vini vel aquæ vaſa poſſe phialas appellari. Græci quidem nominis (vnde hoc ſumptũ eſt) ſignificationẽ non tã latè patere, ſatis notum eſt. Sed per catachreſin ſaltem à iudicibus non nimis ſeueris Latinum illud pro illo noſtro admitti fortaſſe poterit.

Inter inſtrumenta, (præter generale nomẽ *Ferramenta*, ſimile noſtro *Ferremens*) eſt *Aſcia* pro *Hache*: *Dolabra* pro *Doloire*: & verbum *Dolare* (vnde eſt illud nomen) pro *Doler*. ita vt quod vulgò dicitur *Maudolé* ſit ad verbũ *Malè dolatus*. ſed ioco à nobis dici ſolet de homine vegrandi, *Vn grand maudolé*. Ex voce *Raſtellum* (diminuta ex *Raſtrũ*) factũ eſt noſtrũ *Raſteau*. nam prius *Raſtel* ex *Raſtellũ*, deinde *Raſteau* pro *Raſtel*: ſicut *Chaſtel* ex *Caſtellũ*, mutatum deinde in *Chaſteau*. *Furca* pro *Fourche*, vt ſatis notũ, prætereundũ hîc fortaſſe fuit: ſed non itẽ iſtud: quod dicitur à nobis *Fourchô*, cõmodiſſimè exprimi nominib⁹ cõpoſitis, quæ inde ſunt deducta, vt *Bifurcus*, *Trifurcus*, *Quadrifurcus*, *Qui ha deux ou trois ou quatre fourchons*. Neque verò contra analogiam

Furcatus dixerit quiſpiam pro eo quod appellamus *Fourchu*. Addam verò ſuper vſu huius nominis, quod maioris quàm præcedentia eſt momenti: nimirum eum quoque quo vox illa noſtra pro patibulo in plurali numero ponitur (quibuſdam enim locis *patibulum* vocant *Les fourches*) optimè cum Latinitate congruere: non ſolùm quòd *furca* in quodam itidem ſupplicii genere vterentur (vt apud Calliſtratum legimus, *Famoſos latrones in his locis ubi graſſati ſunt, furca figendos compluribus placuit:* & credibile eſt ſeruos furcam in collo ferentes ob delictum aliquod, & furciferos hinc appellatos, eam, tanquam indicium ſupplicii quod meruiſſent, ferre coactos: quemadmodum ſuperiori tempore veniam nonnulli petebant collo reſti circumdato, *la corde au col:* & nonnullis hodiéque iudices eam collo iubent circumdari, quibus propter ætatem, aliámve cauſam, delicti gratiam faciūt, aut ſaltem pœnam illam in leuiorem commutant, qua vitam minimè eripiunt) ſed etiam quòd carū vſum fuiſſe legamus ad illud ipſum ſuppliciū quo facinoroſi in patibulo afficiuntur. vt taceam quæ Feſtus ſcribit, *Furcilles*, ſiue *Furcilla, quibus homines ſuſpendebant.* Ob hanc autem obſeruationem di

gnum viſum fuit vocabulum *Furca* cuius hîc mentio fieret. *Furcæ* porro cognatum eſt *Pertica* pro noſtro *Perche*. Ex eodem certè genere ſunt *Pali* : quorum appellationem integram retinemus, quum dicimus *Palz*. In ſingulari autem numero *Pali* vel *Pal*, pro *Palus*. Atque in hac Latina voce idem quod in aliis pleriſque fecimus, vt ei, tanquam aptiſsimo & tutiſsimo fundamento, aliam ſuperſtrueremus. Ex illo enim fecimus & verbum *Palicer*, ſiue potius *Paliſſer*: vt *Paliſſer un iardin*, pro eo quod Latini dicerēt *Palis circumdare*, vel *cingere*. Quinetiam ex illo verbo nomen formauimus *Paliſſade*. Verùm vt à nomine Latino *Palus* ad aliudquod valde vicinum ſonum habet, tranſeam, non minus mirentur (vt opinor) plerique, ſi audiant pro *Paelle* nos poſſe Latinè loquentes dicere *Pala*, vel forma diminutiua *Patella*. ad quod diminutiuum non dubium eſt quin reſpexerint qui hoc primùm apud Gallos introduxerunt: ita vt *Paelle* exiſtimandum ſit dici quaſi *Patelle*. Sed generalius eſſe noſtrum hoc vocabulum quàm Latinum illud, ſciendum eſt. In ea quidem certè ſignificatione conſentiunt, quam habet noſtrum, quum prouerbialiter dicitur *La paelle ſe mocque du fourgō*. Et hoc ipſum in-

ſtrumentum *Fourgon* alio etiam nomine vocatur à nobis, quod ex Latino factum eſt. appellatur enim & *Rouable* quibuſdam locis, ſicut à Latinis *Rutabulum*. Addendum porrò illis & *Mortarium*, quod vel maximè ſuſpectum quibuſdã pro noſtro *Mortier* fuiſſe ſcio.

In cauſa erit illud *Pala*, de quo dictum modò fuit, cur ad quædam membrorum corporis nomina veniam quæ multi Latinum nomẽ valde itidem vicinum noſtro habere ignorant: quòd nonnulli *Palam* à Latinis dictam tradant eam partem quæ à nobis vocatur *Le paleron*. In *Spinæ* quidem certè appellatione nos cum illis conſentire conſtat: quippe qui dicamus itidẽ *L'eſpine du dos*. Magis nouum hoc fuerit, poſſe nos *Panticem* vel *Pantices* vocare noſtrum *Panæ*. Nec omittendum, eam partem quam Latini honeſto vocabulo vocent *Sedem*, à nobis voce eandem metaphoram habente itidémque honeſta dici *Le ſiege*. Sic verò & in voce *Nature* à nobis eandẽ honeſtatẽ ſeruari quæ à Latinis in nomine *Natura*, de ea corporis mulicbris parte quæ alioqui apud vtroſq; alia etiam nomina habet. Dicimus verò & *Matrice*, vt illi *Matricem*. In viris autem vt illi *Teſtes* honeſtè dicunt (cuius appellationis mẽ

tionem & antea feci)ſic nos *Teſmoins*: quũ alioqui non deſit aliud ex iiſdem ſumptũ nomen,*Genitoires*,ex *Genitalia*.Denique vt illi *Partem pudibundam*,& *Pudenda* ac *Verẽda* in vtroque ſexu dixerunt (ſicut Græci αἰδοῖα) ita nos *Les parties honteuſes*.

Obſeruandum eſt autem nos, ſicut in aliarum rerum ita & in quarundam partiũ corporis appellationibus voces Latinas eſſe imitatos,quarum alioqui talis ſignificationis exempla hodie fortaſſe non extent.quo in numero eſt *La fourcelle*,in corpore,vtpote ex *Furcilla*,diminutiuo nominis *Furca*. Ex hoc enim fit *Furcula*, deinde & *Furcilla*. Sed potius *Clauem* & *Clauiculam*,eadem qua Græci metaphora,partem illam nominant. At verò noſtram appellationem *Focile* de vtroque brachii oſſe,à Latinis habere non videmur:quanuis nõnulli qui hodie de anatome Latinè ſcribunt,*Focile maius* & *Focile minus* appellent. Pro noſtro autem vocabulo *Muſcle* aliud quærendum nobis non eſtLatinum,quàm id quod iſti valde vicinum eſt, & vnde factum hoc eſt per ſyncopen : videlicet *Muſculus*:in quo etiam Græcum μυὼν repræſentatum fuit. Sicut enim à Μῦς eſt Μυὼν, ita *Muſculus* à voce *Mus*. Atque hîc aliquid afferam quod in noſtra lingua obſerua-

tione digniſsimũ eſt: nimirũ eam hac appellatione Latina contentam non fuiſſe, ſed reſpicientem ad Latinæ aut certè ad Græcæ vocis etymum, ſua eiuſdẽ animalis appellatione in eadem re ſignificanda vſam eſſe. quum enim Μῦς Græcorum, *Mus* Latinorum, nobis ſit *Souri*, illorũ μυῶνας, horum *muſculos*, appellauimus etiam *Souris*: verùm ita vt veluti κατ' ἐξοχὴν (ſi tamẽ ἐξοχὴ aliqua eius hac in re eſſe dici poteſt) id vſurpauerimus, dicentes *La ſouri du bras*. Ecce verò, quemadmodum de brachio dicimus *La ſouri*, pro eius *muſculo*, ſic etiam de tibia, *La rate*: quod illi nomini *Souri* ſynonymum eſt: quanuis magis in vſu ſit maſculinum genus *Rat*. Ac fortaſſe hoc quod itidem dicimus *La rate de la iambe*, obſtare debet quominus alterum illud dici de brachio κατ' ἐξοχὴν exiſtimemus. cur enim hîc potius quàm illic eam conſtituerimus? Sed de his hactenus. Nos porro, ſicut & Latinos, metaphoricas quibuſdã partium corporis appellationibus ſignificationes dediſſe, in ſuperioribus oſtendi. Quum autem harum exempla ſuppeditare cùm aliæ quædam appellationes (de quibus tacui) tum verò Manus & Pes & Venter poſsint, inſigne quoddam huius poſtremi afferre ſatis habebo. Sciendum eſt

igitur, quemadmodum iuriſconſulti parietem dicunt *uentrem facere* (legitur enim apud Alphenum, *Siquando inter ædes binas paries eſſet, qui ita uentrem faceret ut in uicini domum ſemipedem aut amplius procumberet*) ſic nos dicere, *Ceſte paroy fait uentre.*

Atque vt à partibus corporis ad ea veniam quæ circa ipſas verſantur, id eſt, ad morbos & ad eam artem quæ morborum eſt propugnatrix: nos hîc quoque magna ex parte communia cum Latinis habere dico vocabula, ſed quæ tamen non magis Latina quàm Gallica ſint: & quæ ideò an per manus Latinorum à Græcis acceperimus, dubitari poteſt. præſertim quum nõnulla alia, vel potius pleraque, ex eodem ſermone habeamus, non tantùm ad hanc claſſem ſed ad alias etiam pertinẽtia, quorum apud Latinos ne veſtigia quidem vlla extant. Atque vt exemplũ ex ea ipſa re qua de nũc agitur, ſumptũ afferam, quum nos dicamus de medicamentis *La doſe*, vſurpantes nomen Græcum δόσις, quod Latinus ſermo planè ignorat, cur *Pleureſie*, *Paralyſie*, *Apoplexie*, *Epilepſie*, aliáque morborum aliorum nomina nos ex ipſo fonte itidem hauſiſſe non putemus? Vtrocunq; autem modo ſe res habeat, quædã ad nos non ſatis integra perueniſſe fateor: ita vt

in illis ipſa è Græco ſermone deductio à quolibet perſpici minimè queat. Atq; hoc in numero ponenda ſunt *Micraine* (vel *Migraine*, vt vulgus errorem errori addens pronuntiat) & *Sciatique*, pro *Hemicraine* & *Iſchiatique*: quanuis ex recentioribus medicis multos *ſciaticam* nobiſcum appellare non puduerit. Eodẽ autem modo in nominibꝰ *Chirurgie* & *Chirurgiẽ*, & in iis quæ dicuntur *Emplaſtres* & *Cataplaſmes*, aliiſque huiuſmodi, necnõ in quibuſcã chirurgicis inſtrumẽtis (vt *Trepan*, *Eſpatule*) parua cum immutatione illas voces Græcas habere nos poſſe quibus Latini vtũtur, ſciẽdũ eſt. Idem certè & de multarum plantarum nominibus ſentiendum eſt. Quid quòd illa ipſa vox qua morbum ſignificamus, Græca eſt? Nihil noui dicis, excipiet quiſpiam. Imò verò dico quod plurimos ignorare ſcio. nimirum à μαλακία, hanc ipſam morbi ſignificationem habente, petitum eſſe noſtrum *maladie*. Apud recentiores ſaltem aliquot ſcriptores μαλακῶς ἔχειν pro ægrotare, inuenio: quorum vnus eſt Achilles Tatius, Hiſtoriæ (quæ nondum edita eſt) de Leucippe & Clitophonte, lib. 2, ἔτυχε μὲν οὖν ἡμῶν μήτηρ τότε μαλακῶς ἔχουσα· σκηψαμένη δὲ καὶ ἡ Λευκίππη νοσεῖν, ἔνδον ὑπέμεινε. Nã hîc μαλακῶς ἔχειν & νοσεῖν pro eodẽ poni manifeſtum

feſtum eſt: alioqui potuiſſem & ex Luciano exemplum afferre. Verùm vt huic de morborum appellationibus ſermoni finē imponam, hoc ſaltem cōſtat, harum quoque pleriſque magnum eſſe noſtræ linguæ cum Latina conſenſum. Monitum autē volo lectorem, noſtram vocē *Diete* (veluti quum dicimus *Vſer de diete*, vel *Faire diete*) illis annumerandam eſſe: ne alioqui, ſiquis Latinè itidem *diætam* hoc appellādum eſſe contendat, hanc Latinitatem ſuſpectam habeat, quum ipſe Cicero hoc vocabulo in Epiſt. vtatur. *Sed ego diæta curari incipio, chirurgiæ tædet.* Aut ſi hoc vocare nolit Latinè loqui (quū planè Græca vox ſit *δίαιτα*) at Ciceronianè loqui appellet. Quid? nullúmne ad hanc claſſem pertinēs vocabulum afferri poteſt, purè ac merè Latinum, quod Gallicū etiam ſit? Imò verò quædam etiā talia in promptu ſunt: ex quibus eſt *Acceſſus*, quum dicitur *Acceſſus febris*. dempta enim per ſyncopen poſtrema ſyllaba in Latina voce Gallicam inuenies: quum à nobis illud ipſum vocetur *Acces*. Quinetiam vocabulum *Medicina*, penè integrum in noſtra lingua manet, *Medecine*, & quidem in vtraque ſignificatione. Sed mihi ſæpe bilem, ſæpe iocū (vt inquit ille) mouerunt qui dicunt *Vne*

fieure exquiſe, ſequentes illos medicos qui *Febrim exquiſitam* appellant quam Græci ἀκριβῆ πυρετόν. Ita enim ex ineptiſsimis verbis Latinis ineptiſsima Gallica faciunt. Sed iam à morbis diſcedere eſt tempus.

A Græcis aliarum quoque rerum appellationes lingua noſtra ſumpſit, quas partim cum Latina communes habet, partim ſibi peculiares: & ita vt peculiarem etiam vſum quibuſdam tribuat. Vt autem earum potiſsimum quas inter ſe communes habent, exempla proferam, eſt *Diademe*, vox Gallica & quidem antiqua, quam à Latinis, & prius à Græcis, vſurpatam fuiſſe cõſtat. Idémque de nomine *Mitre* dicendum eſt: ſed an epiſcopalis etiam mitræ ſocios illos habeamus incertum mihi eſt.

In quorundã etiam animalium nominib⁹ hoc videre eſt: vt in *Dromadaire*. Hoc enim vocabulum, quod priſcis etiam Gallis in vſu fuit, multi vix dignum quo vtamur hodie exiſtimant. At illi ſententiam mutabunt (mutare certè debebunt) vbi didicerint Græcum eſſe nomẽ cameli, quod apud Liuium etiam extet. Sed quanuis in noſtro ſermone de quouis camelo dicatur, apud Græcos diſcrimen inter duo illorum genera oſtenditur. Aut enim ego valde fallor, aut quum Græci κάμηλον

δρομάδα dicunt, hoc adiiciunt vt ab altero genere diſtinguant, eorum videlicet qui *νωτοφόροι* ab illis dici poſſent, à Latinis *doſſuarij*: vt aſellos doſſuarios dixit Varro. Quum igitur ſcribit Liuius, *Cameli quos appellant dromadas*, nequaquam intelligendum eſt (vt multos exiſtimare video) quoſuis camelos alio nomine dromadas appellari: ſed perinde eſſe acſi diceret, Et id camelorum genus quos appellant dromadas. Atque vt à maximo animali ad minimum veniam, vox *Eſcurieu* eſt ex illis de quibus nunc inſtitutus eſt ſermo: quum à Latinis *Sciurus* dicatur, ſicut à Græcis, *Σκίουρος*. At verò *Χλωρίων*, quod eſt nomen auis, Galli quidē, ſed non item Latini fortaſſe, in ſuam linguam traduxerūt. quanuis enim Plinius Græcam hanc appellationem retineat, non immeritò quis dubitet an recepta omnium conſenſu eſſet. Gaza certè Vireonem vocat: quo nomine etymologia Græci illius & velut forma non infeliciter repræſentari videtur. Ridiculum verò eſt quod vulgus noſtrum ſibi de illo nomine perſuadet, nimirū eſſe ex eo inditum quòd auis hæc hanc ipſam vocē *Lorio* ſonare videatur. Sed ecce tibi aliud quoddam nomen, in quo quum Græcos (ni fallor) planè imitati ſimus,

apud Latinos cõtrà nullum eius veſtigiũ extare dici poteſt. Nomen illud eſt *Termes*, apud architectos: vel potius apud pictores pariter & ſculptores. Quis enim mihi non aſſentietur, cõiiciẽti *Termes* pro *Hermes*, id eſt pro Ἑρμαῖ, à nobis dici? Equidem qui hoc mihi negabit, illum noſtros *Termes* cum illis Ἑρμαῖς mutilatis (de quibus cùm alii ſcribunt, tùm verò Thucydides, qui & ipſe Ἑρμῶν περικοπὴν vocat) minimè cõtuliſſe exiſtimabo. Iam verò & noſtrorũ Picardorũ *Gargathe* non dubiũ eſt quin ſit ex Græco γαργαρεών. Sed antequã vlterius tranſeam, addam ſuperioribus voces duas, quarũ modò, quũ architecturæ mentionem facerem, recordatus ſum. eæ ſunt, *Baſe* ex Græco βάσις, & *Corniche*, ex κορωνίς. Noſtrum veſtimentum *Hocqueton*, non aliud eſſe quàm Græcorum ὁ χιτὼν, alii iampridem monuerunt. Illud autem veſtis nomen quod propemodum obſoleuit, *Palletoc*, deberi Latinæ appellationi *Palla*, manifeſtum eſt. At veſtis muliebris nomen *Cotte* vtris debeamus, quæri poteſt. Monui enim ſuprà eſſe tale quid quale id quod Latini *Crocotã ueſtem*, ex Græco κροκωτὸς mutuati, appellent. Mira autem hæc primæ ſyllabæ aphæreſis videri nõ debet, quum idem in aliis quibuſdam voca-

bulis fecerimus, vt in *Ryz* ex ὄρυζα, in *Sot* ex ἄσωτος. Eadémque Latini vſi mihi videntur cùm alibi, tum verò in *Mos*. Ex Græco enim νόμος, (vt opinor) adempta priore ſyllaba, fecerunt illud ſuum *Mos*. quum interdum morem etiam ſignificari νόμου appellatione videamus: quam eius ſignificationem ſequitur nonnunquam verbum νομίζειν, necnon huius paſsiuum νομίζεσθαι.

Cæterùm ratione non carere quæſtionem illam quã & ſuprà propoſui, de quibuſdam vocabulis Græcis, quæ tamen nobis cùm Latinis ſunt cõmunia, an ex ipſo fonte an ex Latinorum riuo ſint à nobis petita, oſtendunt cùm alia quæ à Græcis habemus, Latinæ autẽ linguæ ſunt omnino ignota (quod pauculis hîc, alibi autem plurimis exemplis oſtendi) tum verò quòd in vna eadémque re lingua Latina minus diligenter Græcæ appellationis veſtigiis quàm noſtra inſtiterit. Quod in voce *Salmure* (pro quo pronuntiatur *Saulmure*) videre eſt. quis enim Gallicam vocem *Saulmure* non propius ad Græcam ἁλμυρὶς accedere quàm Latinã *Muria* fateatur? Neq; verò plurimas appellationes duntaxat ab illis accepimus, ſed quaſdam noſtras ad metaphoricũ illorum vſum Latinis ignotum, accommodauimus, veluti quum hor-

ſtrum *Queue* (quod Latini vocant caudã) de agmine,ſicut illi ſuam οὐρὰν, dicere auſi fuimus.

Atque vt tandem finem huic parti imponam,in multis nominibus quæ eadem ſunt cum noſtris, aut certè propemodum eadem (quorum nonnulla è ſermone Græco ſunt petita) falsò ſuſpecta eſt Latinitas. Sæpe profectò mihi in hoc argumẽto verſanti riſus oritur,quũ recordor modò eorum qui mecum pignore contenderint, non eſſe Latinum *Soleæ* pro *Souliers*,& *Formam* pro *La forme*, qua vtuntur qui ſoleas (alio nomine calceos) conficiunt: modò eorum qui *Bracas*,ſiue *Brachas*,apud vllũ ſcriptorem Latinum extare,quum ego dicerem eſſe noſtras *Brayes*,negauerint:modò quorũdã qui *Puppa* pro noſtro *Pouppee* reiecerint:modò aliorum qui *Pilã* pro *Pilier*, & *Pilulæ* pro *Pilules* admittere noluerint:modò eorum qui multa animáliũ nomina noſtris ſimilia ſuſpecta habuerĩt: vt *Pipio* pro *Pigeon*,& *Capo* pro *Chapon*, & *Alauda* pro *Alouette*,& *Muſtela* pro *Mouſtele*: & in piſcibus, *Salmo* pro *Saulmon*: & *Tinca* pro *Tenche*, & *Perca* pro *Perche*, & *Aloſa* pro *Aloſe*,& *Solea* pro *Sole*,& *Aurata* pro *Daurade*. Quomodo quæſo os aperire audent vt Latinè loquantur, qui tam ſtultè & im-

perìtè ſunt religioſi? Quòd ſi quis in cœtu quopiam (vbi librorum non eſt copia) & quò libros afferre decorum non eſſet) illis talia nomina eſſe Latina negantibus, ac pernegantibus,& potius è Gallicis facta eſſe affirmantibus, contradicat, nec tamen aliquem Latini ſcriptoris locum in promptu habeat (vt huiuſmodi loci memoriæ mandari non ſolent) diſcedunt non doctiores quàm antea, ſed multo certè obſti natiores facti. At ego quod huiuſmodi homines aliíque multi cum illis mirētur, addo: ditiorem etiam fuiſſe olim vocum Latinis reſpondētium linguam noſtrā quàm nunc ſit, quum (exempli gratia) maiores noſtros videamus dixiſſe *Ancelle*, ex Latino *Ancilla*: & *Chartre* ex *Carcer*. ex qua appellatione priſca retinuimus illud loquēdi genus, *Eſtre en chartre*, de eo qui ad extremam maciem & tabē etiam redactus eſt: qualem nimirum multis afferre carcer ſolet. Verùm vt ex ea ipſa re de qua ſermo nunc eſt, exemplum afferam, apud veteres ſcriptores noſtros quos appellamus Rōmans, inuenitur *Lus*, pro cuiuſdam piſcis nomine: quis obſecro dubitet quin *Lus* ſit *Lucius*? Sed profectò idem vſuuenit huic Latinæ quod & Gallicæ appellationi: vt nimirū quamplurimis ignota ſit hac tēpe-

ſtate. Quo lubentius Auſonii locum vbi piſcis huius mentionem facit, afferam. Ita igitur ille Idyllio quod Moſella inſcriptũ eſt,

Hic etiam Latio riſus prænomine, cultor
Stagnorum, querulis uis infeſtiſſima ranis,
Lucius, obſcuras ulua cœnoque lacunas
Obſidet. hic nullos mẽſarum lectus ad uſus,
Feruet fumoſis olido nidore popinis.

Verùm in piſcium mentione oblitus ſum nominis *Ariſta*, quocum conuenire noſtrũ *Areſte*, plurimis non ſolùm mirum ſed incredibile futurum ſit: quum tamen vſus ibidẽ ille poeta ſit non ſemel, pro eo videlicet quod ἄκανθαν Græci nominant. Infinita deniq; ſunt quæ minimè Latina exiſtimantur, quæ tamen apud Latinos ſcriptores, ſi non primarios, at certè non cõtemnendos, inueniũtur. Sed hîc ſcio poſſe obiici, multa eſſe vocabula in quibus ſi quis noſtram linguam ducem ſequatur, grauiter in Latinitatem ſit peccaturus. atque vt ab ipſis animalium appellationibus nõ diſcedam, videmus noſtrum *Souri*, quum murem ſignificet, eſſe tamen dictũ tanquam *Soricem*. Scio eſſe multa controuerſa, quæ ex parte tantùm ſignificationi Gallicæ vocis reſpondent, quanuis alioqui voce conſentiant. ſcio *Forces* Gallicũ

conuenire magis cum *Forcæps*, quàm cum *Forfex*, & tamen *Forcæs* eſſe *Forfex*: at *Forcæps* aliud nomen apud nos habere, quod conuenit cum huius ſubſtantiui epitheto. nam *tenaci forcipe* dicit Virgilius, ex quo *tenaci* fecimus *Tenaille*. Scio alia multa poſſe afferri, ob quæ non temerè linguæ noſtræ fidere nos oporteat: ſed propter nõnulla quibus periculum ſubeſt, omniáne ſuſpecta habere oportet? Aut qui adeo ſuſpicioſi ac meticuloſi ſunt, cur vel libros, vel eos qui vice librorum eſſe poſſunt, cõſulere grauantur?

CAPITIS PRIMI PARS QVARTA.

IN ADIECTIVORVM nominũ vſu idemquod in ſubſtãtiuorum videre eſt, nimirum vt plerique omnia tuta timeant. BONVS eſſe Latinis quod nobis *Bon*, pueris etiam notum eſt: ſed cõuenientiam quæ eſt his adiectiuis non in illo tantùm vulgari vſu, ſed in aliis etiam pleriſque, non multi fortaſsis obſeruarũt. multi certè Latinam illam vocẽ nonnullis adhibere locis reformidarẽt quib⁹ Gallicam adhibent: quum tamen id cum bona Latinitatis venia facere poſsint. Ac oſtendi quidem iam antea (pagina nimirum 15)

quum nonnulla Plautina commemorarem, *Bonum animum* dictum fuiſſe vt dicere ſolemus *Bon courage*: & *Bona uerba* vt nos *Bõnes paroles*, pro lenibus ſeu amicis. *Bonã pacem*, vt nos *Bonne paix*: quum dicimus *Viure en bonne paix*. denique *bonum furem* dictum à Catullo fuiſſe, vt nos furem ſuæ artis furandi peritum appellamus *Bon larron.* at nunc vide quæ illis adiiciam. Eſt apud nos in vſu *Bon uiſage*, veluti quum dicimus *Mõſtrer bon uiſage*: quis putet eodem modo *Bonum uultum* poſſe dici? ſic tamen eſt loquutus Ouidius Metam. libro 8. Quinetiã illud *Monſtrer bon uiſage*, eiuſmodi eſt quale apud Plinium iuniorem, *Bono uultu aſpicere.* Aliam autem ſignificationem habet iſtud adiectiuum, quum ipſi vultui tribuitur *bonus color* à Naſone vt à nobis vocatur *Bonne couleur.* Eſtq; illic non tãtùm adiectiui ſed & ſubſtantiui vſus obſeruãdus. Varro *Bona ætate eſſe* videri poteſt dixiſſe ea ſignificatione qua nos *Eſtre de bon aage*, vel *Eſtre encore de bõ aage*. Quum alioqui *Bona ætas* ſit potius iuuenilis ætas, cùm aliis tum Cic. De ſenect. quia (vt cecinit Naſo) *Nec bona tam ſequitur, quàm bona prima fuit.* vnde apud eundem legimus, de ingraueſcente ætate, *Iam mihi deterior canis aſpergitur ætas*. Et Plautus *malam ætatem* vo-

cauit. Atq; vt nos dicere ſolemus, *Sçauoir bon gré*, ita Plautus, *Bonam gratiam habere*, vt dicimus *Auoir bonne prouiſion de liures*, (itidémque de alia re) ſic Horatius dixit *bonam librorum copiam*. Atque vt hîc *bona copia* ſignificat magnã, ſic *Bona pars* pro magna ponitur. vt enim vſitatum eſt ſermoni noſtro *Vne bonne partie*, pro *Vne grande partie*, vel *La plus grande partie*, ſic & *Bonam partẽ* dici à Cicerone & ab Horatio, aliiſque nõnullis, conſtat. Aliter verò idem Cicero *In bonam partem accipere* ita dixit, vt nos *Prendre en bonne part*. Alius autem eſt vſus huius adiectiui quũ dicitur *Bona memoria*, item *Bona ſpes* & *Bona cauſa*, *Bona fama*: ſed in his (aliiſque nonnullis) eſſe itidem conuenientiam ſermoni noſtro cum Latino, nõ videtur monendus eſſe lector. At qui nũc mihi in mẽtẽ venit vſus, digniſsimus videtur qui illi à me hîc proponatur. Nã *Bonum diem* Horatius & Naſo ita dixerunt de die feſto, aut alioqui ſolenni, vt vulgus *un bon iour*. Ille enim teſtam alloquens, dixit, *Moueri digna bono die*. Naſo autem, Faſt. lib. I, *Nunc dicenda bono ſunt bona uerba die*. Apud eundem & *lucem bonam* legimus. Obſerua autem illo in loco *Bona uerba* in alia ſignificatione quàm ea cuius modò mentionẽ feci. nam hîc *bona* intelliguntur bene omi-

nata: at illic, lenia ſeu amica, vt dixi, & qualia *bonum uultum* (vt Naſonē appellare audiiſti) comitātur, & illam bonam gratiam quam dicit Plautus. ideóque tria hæc aptè coniungi poſſent.

Bonus de homine dictum aliquos itidē vſus habet cum noſtris (id eſt, cū illis quos damus voci noſtræ *Bon*) communes: ex quibus eſt ille quo dicitur *Bone uir*, & ab Horatio O *bone*, ſine adiectione, imitante Græcum ὦ 'γαθέ. Atque vt apud vtroſque eſt interdum cum ironiá blandientis, aut etiam reprehēſionem mollientis, ſic & apud nos in vocandi caſu *Bon homme*: & quum loquimur de illo, *Le bon homme*. Neque enim ſemper de eo qui iam ſit ſenex, ita loqui ſolemus. Quid verò? an nullum huius quoque vſus veſtigium in Latino *bonus* extat? Imò certè aliqua ad eum quoque pertinentia obſeruaui: è quibus afferam quæ memoria ſuggerit. Dico enim ad illū pertinere iſtū Horatii verſum, Epiſt. lib. 1, *Quinque bonos ſolitum Bariam dimittere patres.* Nam hîc *bonos* ſignificare grandes natu, nemo, vt opinor, negauerit. Suſpicor verò & illa priſcæ linguæ verba *Bona fœmina* (vt illis vtuntur cùm alii, tū Plautus, & Catullus) alicubi referri ad ſenilē ætatē poſſe. præſertim verò vbi de pronuba dicuntur. id enim munus

non alii quàm vetulæ mandari ſolitum fuiſſe credibile eſt. Neque mirum videri debet quòd boni dicantur ſenes, etiamſi bona ætas appellata ſit, non ſenilis, ſed iuuenilis: quoniã illic ad mores (ſcimus enim ſenectutem moderatiores reddere homines) hîc autem ad iuuẽtutis commoda reſpici, & ſenectutis incommodis opponi conſtat. Quod tamen de illis priſcis verbis *Bona fœmina* dixi, tanquam coniecturã duntaxat à me proponi lector intelligat. Cæteris autem quæ de nomine *Bonus*, quũ homini tribuitur, dixi, addendum eſt, id cum adiectione quoque interdum poni, ſicut noſtrum *Bon*, eandémque tum etiam ſignificationem vtriuſque eſſe. Verùm ad ſubſtantiui quidem adiectionem quod attinet, eius exemplis minimè opus eſſe arbitror. Quum enim *bonum furem* dixiſſe Latinos iam oſtenderim, dubitabit (vt opinor) nemo quin multo etiam magis in bonam partem vſi ſint (ſicut nos noſtro *Bon*) dicẽtes *Bonus poeta*, *Bonus orator*, *Bonus medicus*: atque adeò *Bonus gladiator*, *Bonus ſutor*. Venio igitur ad aliam adiectionem, eam videlicet qua datiuo perſonæ iungitur: & dicitur *eſſe bonum alicui* (ſicut & ſine adiectione datiui, *bonus* illis eſt propitius) vt à Virgilio,

— uos ô mihi manes

Eſte boni, quoniam ſuperis auerſa uoluntas.
Neque verò tantùm dicitur quis eſſe Bo-*nus alicui*, ſed etiam *Bonus in aliquem*, à Tul-lio in epiſt. ad Att. Nos itidem *Bon à quel-cun*, & *Bõ enuers quelcun*. Præterea quemad-modum noſtro *Bon* cum adiectione datiui rei vtimur, pro idoneo ſeu apto, ſic Lati-nos illo ſuo adiectiuo vti videmus: dicen-tes (verbi gratia) *Bonus bello*. Quinetiam cũ præpoſitione *Ad* inuenitur: ſicut dicitur à nobis *Bon à quelque choſe*. Neque tamen re-ctè Liuii exemplum affertur ad probãdam hanc conſtructionem, quaſi ille *Bonus ad cætera* eo modo dixerit. Ita enim ille in principio libri De bello Punico decimi, *Bello quoque bonus habitus ad cætera quibus nemo ea tempeſtate inſtructior ciuis habebatur, congeſtis omnibus humanis à natura fortunáque bonis. Nobilis idem ac diues erat: forma uiribuſque corporis excellebat*, &c. Hîc enim *ad cætera* malè putarũt iungi cum *Bonus habitus*, quum iungatur ſequẽtibus, & dicatur pro Præter cætera. Quid iam de hac voce dicẽ-dum ſupereſt? quod obſeruatione præ cæ-teris omnibus dignum eſt, & à paucißi-mis tamen fortaßis obſeruatum: nimirum ſicut nobis propriè *Homme de biẽ*, is eſt qui à Latinis itidem *Bonus uir & probus* appel-latur, ad bonos mores & vitæ integritatẽ

reſpiciendo: ſed tamen populari quadam aſſentatione dicitur *Vn homme de biẽ* de eo qui in aliqua dignitate eſt conſtitutus, aut alioqui autoritate valet: præſertímque de locuplete: ſic etiam *bonum* à Latinis eundẽ fuiſſe appellatum. Cic ad Att. lib. 8, epiſt. 1, *Eundum, ut quemcunque fors tulerit caſum, ſubeam potius cum iis qui dicuntur eſſe boni, quàm uidear a bonis diſſentire. Etſi propediem uideo bonorum, id eſt lautorum & locupletum, urbem refertam fore.*

MALVS itidem quoſdam vſus habet in quibus magnum Latinæ linguæ cũ noſtra conſenſum vulgus nõ obſeruat. Sed diu hîc immorandum non eſt, quum ſatis ſit monere, multis locis adhiberi vocem illam *Bonus*, vbi viciſsim poſsit adhiberi vox *Malus*. Sic vno eodémq; loco *bonum colorẽ* & *malum* dicit Naſo, necnon *bonam cauſam* & *malam*, in vno eodémque verſu. Ac Plautus vt *bonam formam* dicit, ita etiam *malam*: idémq; *malam ætatem* de ſenectute, vt *bonam ætatem* de iuuẽtute dici docui. Verùm hæc duo ex iis non ſunt quæ cum Latina lingua habemus communia. Vt igitur potius veniam ad quædam ex illis exemplis quæ allatis in voce *Bonus* reſpondent, ſicut *Bona uerba* oſtendi à Plauto vſurpari, ita *Mala uerba* apud eum in cõtraria ſignificatione

legimus: nec verò apud eum tantùm, ſed apud Naſonem quoque. Sicut *Bonus poeta, Bonus orator, Bonus medicus*, itidémque cætera dicuntur, ſic *Malus poeta, Malus orator, Malus medicus*, paſsim leguntur: itidémque cæteris ſubſtantiuis hoc adiectiuũ *malus* iungitur. Atque vt *bonum carmen*, ſeu *bonus uerſus*, ſic etiam *malum carmen*, ſeu *malus uerſus* in vſu eſt. Sed interdum etiam *malum carmẽ* vocatur maledicum, cùm apud alios, tum verò Horatium. Vt *bona fama*, ſic etiam *mala fama* dicitur, item *malus rumor*, ab Horatio. Atque vt aliquis dicitur eſſe *bonus bello*, ſic viciſsim *malus bello*, vel *malus militiæ*, vt apud eundem illum poetam. Atque vt *bonus cibus* dicitur, ita etiam *cibus malus*: & *aper malus* apud eundẽ, cuius cibus ſit malus. Sed plurima quæ his adiici poſſunt, lectoris diligentiæ relinquam: ac tantùm addam, in eo quoque bellè conuenire linguæ Latinæ cum noſtra, quòd eadem ſignificatione dicat, *Eſt homo minimè malus*, qua nos, *Il n'eſt pas mauuais homme*. vel, *Il n'eſt pas des plus mauuais*, de eo in quo ſit aliquid ſimplicitatis.

Pauca verò & de voce PROBVS, eíque oppoſita IMPROBVS, dicenda ſunt. Sciẽdum eſt igitur adiectiuum illud prius aliis etiã ſubſtantiuis poſſe iungi quàm quibus plerique

plerique iungi poſſe exiſtiment: iungi inquam & aliis ſubſtantiuis, eorum quibus noſtrum adiectiuum *Bon* iungimus, ſignificationem habentibus. vt *Probum argentũ* apud Liuium, quod vocamus *Bon argent.* Itidémque *probi nummi* apud Plautũ, Bacchidibus. Sic *Proba merx* apud eundem *Bõne marchandiſe*, vel, *Bonne & loyale.* Quinetiã *probum congrum* idem dixit, item *occaſionẽ probam.* Columella *probum colorem*, itẽ *probum ſaporem.* Terentius verò dixit *artificem probum*, vt nos diceremus *Bon ouurier*, pro perito. Ille autem alter comicus dixit etiã *Probus ad iſtas res*, in Pœnulo;

Cũ illoc te melius tuam rem adoleſcens loqui:
Illic eſt ad iſtas res probus quas quæritas.

(Vbi obiter obſerua etiam *Melius eſt* cum infinitiuo, vt dicimus *Il eſt meilleur de faire ainſi*) Ac de *Probus* quidem hæc ſatis eſſe poſsint. De contrario autem *Improbus* dico itidem pro noſtro *Mauuais* vel *Meſchant* interdum poni, pro *Malus*. vt *Improba merx* eidem Plauto eſt quam vocamus *Mauuaiſe marchandiſe*: eodem modo quo *Proba merx*, *Bonne marchandiſe.* Nec dubito quin itidẽ *improbos nummos* oppoſuerit *probis*: quanuis *reprobos nummos* Vlpianus dicere maluerit. Quis verò non exſibiletur ſi panem improbum vocet quem nos *mauuais pain*

appellamus? Atqui ita loquutus eſt Martialis,

Intérque raucos vltimus rogatores
Oret caninas panis improbi bucas.

Adiectiuũ GRANDIS eorũ eſt è numero quæ vſus quoſdam vulgo ſuſpectos habent. Ac primùm quidem pro eo quod propriè dicimus *Grand*: vt *Grande caput* Nasoni, & *Grandia membra*, eidem: *Grãdia oſſa*, Virgilio: & *Grande cubiculum*, Ciceroni. Multi enim ſunt qui his in locis *Magnum* potius dicendum eſſe exiſtiment. Valdè vſitatum eſt & *Grãdis pecunia*, vt nobis *Grãd argent*: vel *Grand ſomme d'argent*. Legimus verò & *Grande malum* apud Horatium, vt dicimus *Vn grand mal*. Dicitur & *Grandis ætas*, vt nos dicimus *Grãd aage*. apud Ciceronem autem & Naſonem *Grandior ætas* legitur, comparatiuo poſitiui locum obtinente.

Nomen item CIVILIS pro eo quod dicimus *Ciuil*, ſcio eſſe qui refugiant: quum tamen vix aliud quo hanc Gallicam vocẽ poſsint exprimere, ſint inuenturi. Nec verò dubito quin hi, ſi vel vnius Suetonii locos vbi illo vtitur legerint, minus ſint eius vſum reformidaturi. In eo tantùm diſcriminis aliquid eſſe videtur quòd *Ciuil* & *Ciuilité* circa leuiora etiam quædam ver-

ſantur,quæ homini in factis & dictis decorum ſeruare volenti ſint obſeruanda:præſertímque illi qui vrbanus haberi velit. Adeo vt non malè fortaſſe *Vrbanus* & *Vrbanitas* pro illis dici poſsint. Alioqui pro *Ciuil* dixerim etiam *Minimè ruſticus*, vel *Minimè ruſticis moribus*.

Verùm longum eſſet ſingula quæ hâc in parte falſò ſuſpecta ſunt enumerare: ideóque in quaſdam claſſes potius ea redigã,& ab illis quæ voce BILIS finiũtur, vel (vt magis recepta voce vtar) terminantur, initium ſumam.Huc igitur pertinent iſta, *Vendibilis*, *Senſibilis*, *Viſibilis*, *Comprehenſibilis*, *Reprehẽſibilis*, *Irremediabilis*, *Honorabilis*. Hęc enim,ſicut & alia quædam,ſuſpecta reddit Gallicorum nominum maxima affinitas, *Vendible*, *Senſible*, *Viſible*, *Comprehenſible*, *Reprehenſible*, *Irremediable*, *Honorable*. At ego vt de quibuſdam illorum dubitari nõ miror,ita primum *Vendibilis* in dubium venire,vel maximè mirandum eſſe dico: quũ tot claſsici ſcriptores eo vtantur:& vel hic Horatii verſus omnem tollere dubitationem potuerit,Epiſt.17,libri I,

Et fundus nec uendibilis, nec paſcere firmus.

Vbi (quid enim vetat quin de hoc ἐν παρόδῳ moneã?)hoc loquẽdi genus ſecus expoſui in ſcholiis quæ margini meæ editionis

adſcripſi, quàm alii ante me explicaſſent. dixi enim ſignificari, Nō firmus in ſuppeditādis alimentis, Firmitatē & conſtantiā in victu ſuppeditando non ſeruans. Perinde acſi dixiſſet, Cuius non eſt certa fides: (ſicut ipſemet alibi loquitur,--*& ſegetis certa fides meæ*) vel, *Qui ſpem mentitur*, ex eodē. Aut breuius, *Fundus mendax*, vt idem loquitur, 3. Carm. ode 1. Sed venio ad ſecundū *Sēſibilis*. id tantum abeſt vt dicere nobis nō liceat, vt etiam *Inſenſibilis* permittatur, ſiquid Gellii apud nos valet autoritas. *Viſibilis* Plinio non diſplicuit: nec minus placuiſſe illi contrariū *Inuiſibilis* exiſtimo. *Comprehenſibilis* aſſertorem Ciceronem habet. *Reprehenſibilis* & *Irreprehenſibilis* ex quibuſdam recentioribus afferuntur. *Irremediabilis*, Plinius, *Honorabilis* dixit Liuius. Quàm multi ſunt autem quibus illud *Comprehenſibilis* apud Ciceronem extare nullo perſuaderi modo poſſit? At timidè illo vtitur. Fateor equidem, ſed vtitur tamen: & nouitatem ille reformidauit, at nobis non itidem nouum eſſe poteſt. Neque verò dubium eſt quin vt *Comprehenſibile* pro καταληπτὸν, ſic *Incomprehenſibile* pro ἀκατάληπτον illi placuerit. Sed pro φθαρτὸς & ἄφθαρτος an itidem *Corruptibilis* & *Incorruptibilis* dicere licebit? Ego hîc me ἀκαταληπτεῖν reſpondebo, & interim dicam

& ipſe *Corruptioni obnoxius* & *Corruptioni nō obnoxius*: aut illic *Corruptionem ſentiens*: (vt à Plinio dicitur res aliqua ſentire cariem, vel teredinem, vel vetuſtatem) hîc, *Corruptionis expers*. nam *Corruptionis neſcius* vix auſim dicere. At *Incorruptus* dicere licet pro *Incorruptibilis*, obiiciet fortaſſe quiſpiam. Ego, etiamſi inueniri illud in huius ſignificatione concederem, tamen pleriſque locis poſſe ambiguitatem parere reſponderem. Ac, ne longè abeam, ex quodam Plinii loco affertur *incorrupta* tanquam pro ἄφθαρτος poſitū, id eſt incorruptibilis, quū ſit pro Non corrupta, οὐκ ἐφθαρμένη: aut ſaltem non minus hanc quàm illam habere ſignificationem poſsit. Sic autem *Irreprehenſus* an pro *Irreprehenſibilis* tutò poni poſſit videndum. Neque verò putandum eſt Liuiū, vbi *honorabilis* dixit, potuiſſe altero nomine *honoratus* itidem exprimere quod volebat. At verò ſiquis *Inacceſſibilis* diceret, meritò reprehenderetur, quum pro eo ſit in promptu *Inacceſſus*. Sic etiam *Inextinctus* præſtò fuerit pro *Inextinguibilis*, quo tamen priſci vſi ſunt. At pro *Inæſtimabilis*, *Incomparabilis*, *Inenarrabilis*, *Inexplicabilis*, *Inequitabilis*, aliiſque infinitis, quibus vtemur? Quaſi verò *Inſolabiliter* etiam Horatio non placuerit. Dicendum verò

aliquid eſt & de *Poſſibilis* eique oppoſito *Impoſſibilis*. Hæc adiectiua ſunt qui pro barbaris habeãt, & ſiquo libro in manus ſumpto horum alterum in eorum oculos incurrat, illum abiiciunt, & vel ex illo vno vocabulo autorem illius pro barbaro habent. Quid? an barbarum fuiſſe Plautum dicemus? at is *Poſſibile* dicere non dubitauit. Ac ne Fabius quidem pro barbaro haberi voluit, qui tamen non ſolùm *Poſſibile* ſed *Impoſſibile* etiam non ſemel dicit: & fuiſſe aliis etiam in vſu, verba eius oſtendunt. At durum eſſe illud ipſe quoque fatetur. Videri durum aut certè videri poſſe fatetur ille quidem, ſed ita vt ſimul obiectioni illi reſpondeat. Ita enim libri 3, cap. 8, *Melius ergo qui tertiã partem fecerunt δυνατόν. Noſtri poſſibile nominant: quæ ut dura uideatur appellatio, ſola tamẽ eſt.* Age verò, nónne itidem Ciceroni viſum fuiſſe durum illud vocabulum *Comprehenſibile* exiſtimamus? Hoc equidẽ oſtendunt hæc eius verba: *Feretis hæc?* poſtquam vſus eſt illa voce *Comprehenſibile*. Sed tamen minimè refugiẽdam hanc vocem cenſuit. Ridiculi verò ſunt hac ætate pleriq;, qui dum his *Poſſibile* & *Impoſſibile* & aliis quibuſdã eiuſdem formæ abſtinent, plurimis aliis & vocibus & loquendi generibus vtũtur, quæ nõ ſolùm

dura itidem ſunt, ſed ne Latina quidem.

Dubitari ſcio & de quibuſdã in OSVS, ac vix vllum magis in dubium venire apud multos quàm *Dubioſus*. Sed hi Gellium hoc nõ ſemel vſum eſſe ignorãt. Inter ſuſpecta adiectiua huius formæ, eſt etiã *Fallacioſus*. hoc enim aliqui fictũ ex noſtro *Fallacieux*, & Latinos non *Fallacioſus* ſed tantùm *Fallax* dicere arbitrantur. Sed hi ſi eundẽ Gellium adeant, ex eius ore illud vocabulum audient: necnon ex ore illius Tironis Tullii, qui Ciceronis libertus fuit. nam nõnulla ex quadam illius epiſtola afferens, hæc inter alia ſcribit, *Poſt deinde uſum eſſe Catonem dicit in eadem oratione argumentis parum honeſtis, & nimis audacibus, ac non uiri eius qualis fuit, ſed uafris ac fallacioſis, & quaſi Græcorum ſophiſtarum ſolertiis.* Omnino autem antiquitatẽ mihi redolet hoc *Fallacioſus*: ſicut etiam *Perfidioſus* antiquum eſſe puto, pro *Perfidus*: licet Cicero poſt Plautum illo vſus ſit. Quemadmodum porro quãuis dicatur *Fallax* ſuſpectum non debet eſſe *Fallacioſus*, quod cõuenit cum noſtro *Fallacieux*: ſic etiam *Suſpicioſus* nõ eſt quod in dubium nobis veniat, licet aliud eiuſdem ſignificationis extet: nimirum *Suſpicax*. Quædam etiam quæ abundantiam ſignificant, è Latino ſermone ad noſtrum ma-

narunt:vt *Pecunieux*. eſt enim à voce *Pecunioſus*, de cuius Latinitate dubitari nullo modo poteſt. Habuiſſe autem veteres Latinos quædam huius formæ, abundantiā itidē declarātia, quæ poſtea obſoleuerūt, vel ex vno *Auroſus* colligo, quod in Gloſſario veteri non ita pridem à me edito èxponitur πολύχρυσος. Equidem & *Malitioſus* exponi poteſt, Qui refertus eſt malitia: quo noſtrum *Malitieux* vidi qui interpretari non auderent. Vt autē ad alia veniam, animaduertendum eſt, ex nominibus quæ in -*oſus* exeunt, quædam & actiuè & paſsiuè accipi: quod nō itidem cernatur in noſtris vocibus quæ illis reſpondent. vt *Inuidioſus* non actiuè ſolùm ponitur, ſed multo etiā frequentius paſsiué: at noſtrum *Enuieux* actiuè tantùm. Sic *Laborioſus* vtranque ſignificationem habet, at noſtrū *Laborieux* (apud eos quidem certè qui paſsim receptum vſum ſequuntur) actiuam duntaxat habet: dicitúrque in paſsiua *Penible*. Viciſſim autē paſsiuè à nobis accipitur *Contentieux* (eodem modo quo *Litigieux*) quum potius actiuè dicatur *Contentioſus* à veteribus. Verùm vt quidam ex recentioribus nomini *Contentioſus* paſsiuam etiam ſignificationē dare auſi ſunt, ita noſtro *Contentieux* viciſsim actiuam tribuere quidam hodie

non dubitant. Verùm quædam tamen ſunt in noſtro ſermone (nam de hoc quoq; monēdus eſt mihi lector) quæ quum itidē terminationem illam habeant in *eux*, nullum tamen in — *oſus* apud Latinos habent, quod ſibi reſpōdeat. Exemplum habemus in nomine *Douloureux*, quaſi quis dicat Doloroſus. quod tamen planè barbarum eſſet. Dubito autem an vt dictū fuit priſca lingua *Luctificus* & *Triſtificus*, & à Gellio *Frigorificus*, ita *Dolorificus* dici poſsit.

Ex illis etiam nominibus quæ in ſyllabas — ARIVS exeunt, quæ partim adiectiua ſunt, partim ſubſtātiua, multa ſuſpecta eſſe ſcio, quibus tamen cum bona Latinitatis venia vti poſſumus. Exempli gratia, quibuſdam ſuſpectū eſt *Lignarius faber*, quòd ſcriptoris alicuius non contemnendi autoritate confirmatum non inuenerint. Eſto verò deeſſe vſus illius exemplū: quid? quū dici vident *faber ferrarius*, nónne vel analogiæ ratio idoneū illis teſtimoniū eſſe debet? Nec verò à quibus *faber lignarius* reiicietur, video cur potius *faber materiarius* admittetur. nā *faber tignarius* nō tā latè extendi poteſt. Magis verò ſuperſtitioſi illi homines mirētur, noſtrū *Charpentier*, (pro *Carpentier*) non ſolùm ex Latino *Carpētarius* ſumptū eſſe, ſed aliquatenus etiā ei re-

ſpondere: præſertim ſi ex parte totum (vt vulgò loquimur) intelligatur, & illius noſtræ vocis ſignificatio generalius accipiatur. Cæterùm Latini quoque nonnunquã talia videntur dixiſſe non præfixo illo nomine *faber*: ſicut à nobis nihil tale pręfigitur. At verò ſicut ſubſtantiuum & adiectiuum coniungitur à Latinis, quum dicunt *Lupus æruarius*, ſic etiam à nobis, in eiuſdem animalis appellatione: vtpote dicentibus eodem modo, *Loup æruier*. Quotuſquiſque eſt autem qui Latinam huius etiam animalis appellationem noſtræ tam vicinam eſſe put t? . Multa verò huc pertinent ex iis etiam quibus ſubſtãtiuum non præfigitur, ita vt ipſa pro ſubſtantiuis potius habenda eſſe videantur. Talia ſunt, *Aſinarius*, *Porcarius*: pro noſtris *Aſnier*, & *Porcher*. Nã illud *Aſnier* retinemꝰ in hoc prouerbio, *A rude aſne rude aſnier*. Quid? nó ne *Mularius* itidem dicere licebit pro noſtro *Mulatier*? Imò verò quum *Mulio* illã noſtræ vocis ſignificationem habeat, eo cõtenti eſſe debemus. Nec omittendum hîc fuerit *Vinarius*, vt pote cuius nomẽ itidem in TIER apud nos deſinat, vocantes illum *Vinotier*. Illo autem Latino ante iuriſconſultos vſus eſt Plautus, adeo vt eos ſine periculo in eo nominis illius vſu ſequi

poſsimus. An verò *Vinarius* pro vinoſo etiam (id eſt ebrioſo) à nobis cum Vlpiano dicendum ſit, quærendum aliis relinquam, ad alia eiuſdem generis interim me cõferens. Ea ſunt, *Furnarius* & *Carbonarius* pro noſtris *Fournier* & *Charbonnier*. nam Latinitas ne eos quidem nominibus carere voluit. His autẽ addi poſſunt nõnullæ artificũ appellationes, quæ multis non minus ſuſpectæ fuerint, vt *Coriarius*, *Caligarius*, *Pellarius*. Inter quas poſteriores duæ potiſsimum venire in ſuſpicionẽ poſsint: & magis etiã *Pellarius* quàm *Caligarius*. nã quum noſtrum *Pelletier* vocatum à Latinis eſſe *Pellionem* conſtet (ſicut *Mulionem* noſtrum *Mulatier*) dictum etiam *Pellarium*, multi vix credituri ſint. Sed inuenitur tamen hoc quoque apud recentiores.

Quòd ſi & nonnullorum appellationes quorum functiones honeſtæ ſunt, aut etiã honoratæ, ſubiungere illis conceſſum eſt, vidi qui *Conſiliarium regis* vocare dubitarent quem nos *Cõſilier du Roy* appellamus. ex quib[9] alii ne extare quidẽ apud Latinos vocẽ illã putabãt, alii extare quidẽ, ſed nõ itidẽ in talis fũctionis ſignificatione, dicebant. Quaſi verò, ſi reges olim conſiliarios non habuiſſent, illis eos nunc adiungere non liceret. Vt tamen his quoque ſcrupulus iſte eximatur, audiãt hæc Ciceronis in

epiſtola illa ad Lentulũ, quæ prima omniũ eſt, *Perſpicio id quod iam omnibus eſt apertum, totam rem iſtam iampridem à certis hominibus non inuito rege ipſo conſiliariiſque eius eſſe corruptam.* Sed nihil egi fortaſſe: volẽt enim & *Parlamentũ* ſibi in Latina lingua repræſentari: at ego vt *Conſiliarios parlamenti* fateor vocari non poſſe, niſi ab eo qui barbarè loqui velit: ita *Conſiliarios curiæ*, aut certè *Conſiliarios in curia*, appellari poſſe non nego. Noui porro dubitari etiam de *Argentarius* & *Theſaurarius*, pro noſtris *Argentier* & *Threſorier*: nec certè immeritò dubitari dico. Nam eius qui dicitur à nobis *Argentier*, officium eſt pecuniam domini ſui diſpenſare: quum *Argentarius* trapezitam potius ſignificarit, qui Latinè ad verbum *Menſarius*. Vidẽdum eſt igitur an nihilominus & ad noſtrũ illũ *Argentier* καταχρηστικῶς appellatio transferri poſsit. Ad vocem autem alteram *Theſaurarius* quod attinet, poſſe ita vſurpari exiſtimo vt ſit ſubſtantiuum quemadmodũ *Argentarius*: tunc verò quam aliam potius ſignificationem habiturum ſit, non video. Conſtat certè *argentariorum* eas ferè partes eſſe quæ ſint theſaurariorũ, verùm vt horum nomen multo eſt honoratius, ita etiã apud eos tantùm eſſe qui in lõgè maiore dignitatis gradu ſint cõſtituti:

atque adeò vix apud alios proceres quàm eos qui potentia proximi ſint à regibus. Quemadmodum autē ex nominibus quæ hanc terminationem habent, nonnulla modò ſubſtantiua, modò adiectiuà ſunt, ſic etiam in noſtro ſermone ab vnico Latinorum vocabulo V*ſurarius* habemus & V*ſurier* ſubſtantiuum(eo quidē modo quo priora illa pro ſubſtātiuis haberi poſſunt) & V*ſuraire* adiectiuum:veluti quū dicimus *Vn contract uſuraire*. Sed videndum an Latinè dici poſsit *Contractus uſurarius*, ſicut dicitur P*ecunia uſuraria*: quoniā apud nos in malam partem accipitur illud *uſuraire*: ſicut etiam V*ſurier*,de eo qui vſura legitima & ciuili (vt Plinius vocat) contentus non eſt,ſed ad illicitas vſque progreditur,atque aliis etiam malis artibus vſurariæ pecuniæ quæſtum auget. Plautus autem ita vſus eſt adiectiuo V*ſurarius* vt iuriſconſulti vtuntur ſuo Vſuarius. vbi enim ille *uſuraria uxore* dixit, illi (ſi res hæc illis exprimenda eſſet) potius *uſuaria* dicerent. Atque hîc in Plauti mentione recordor & eius vſus quem apud eundem habent illa duo paulò antè poſita *Argentarius* & T*heſaurarius*.In eo certè vſu planè ſunt adiectiua, quum meretrices ab eo vocentur *illecebræ argentariæ*,necnon *argentarium au-*

xilium ab eo dicatur,(ſicut à Terentio *Argentaria cura*) & *theſaurarij fures* appellentur theſauri fures. Quibus ſimile eſt apud eundem comicum *Negotium aurarium*, in Bacchidibus, *Negocium hoc ad me nunc attinet aurarium.*

Sciendum eſt autem, in nominibus quoque ſubſtantiuis quæ in RIVM exeunt, & Gallicè in IER (ſicut proximè præcedentia) multos falli: vt nimirum quæ omnino Latina ſunt, nihil rei cum Latinitate habere arbitrentur. Eiuſmodi eſt *Granarium* pro *Grenier*, & *Cellarium* pro *Celier*: item *Viuarium* pro *Viuier*. Quanuis enim Latinæ illius vocis ſignificatio latius pateat quàm noſtræ, non dubium eſt quin & noſtrum *Viuier* nomine illo appellari poſsit: quum piſces quoque ſuum habere viuarium, cùm apud alios tum apud Iuuenalē videamus: Sat.4,

Non dubitaturi fugitiuum dicere piſcem,
Depaſtúmque diu uiuaria Cæſaris.

Eſt verò & aliud, lector, ad primam huius de adiectiuis ſermonis pertinens partē, de quo te monēdū eſſe cenſui. nā quū de illis adiectiuis loquerer de quorum Latinitate dubitatur, non quod ad vocem ipſam, ſed quod ad ſignificationē aliquā attinet, cùm alia mihi exciderūt, de quib⁹ te cōmone-

facere ſtatueram, tum verò quoddam cui hîc ſaltem (licet non ſuo loco) dandum eſſe locum exiſtimaui. Vt enim dicimus *Vne uilaine teſte* (ſæpe etiam *Vne grande uilaine teſte*) ſic *Turpe caput* dictum fuit à Virgilio, Georg. 3, necnon à Varrone in iis quæ de re ruſtica ſcripſit. Quæri autem poteſt an ſicut nos de quibuſdam etiam aliis corporis partibus eodem loquēdi genere vtimur, ita & illi ſuo illo vſi ſint, aut certè vti potuerint. Sed iſtam quæſtionem aliis ſoluendam relinquo.

Hæc ſanè, quanuis hîc quoque pauca è multis, ad reddendùm lectorē cautū ſatis eſſe videntur: cautum (inquam) in ferendo de quibuſdam etiam adiectiuis, quæ prima fronte ſuſpecta eſſe poſſent, iudicio. Quòd ſi etiam ſatis exemplorum ad hoc efficiendum non attuliſſem, puderet tamen capiti quod iā eſt ὑπέρμετρον (adeo vt creſcēte multo magis quàm putarā materia, coactus fuerim in quatuor partes diuidere) quicquam tanquam ἐπίμετρον adiicere: quum alioqui ſubinde in memoriam quorundā à me diuerſis in locis prætermiſſorum redeam.

De uocabulis falsò ſuſpectis, quæ ad eam orationis pertinent partem quam grammatici Verbum *nominant.* CAP. II.

IN VERBIS (id eſt, iis vocabulis quæ grammatici Verba nominant) idem quod in nominibus faciēdum ſentio: vt iis quæ Latina eſſe conſtat, ſed in certa quapiam ſignificatione pro Latinis minimè habentur, locum dem priorem: & ab illis ea ſeiungam quæ ne extare quidem apud vllum exiſtimantur, cuius quidem aliqua ſit in Latinitate autoritas. Quanuis autem de loquendi generibus ſeorſum agere propoſitum mihi ſit, fieri tamen alicubi non poterit, in hac priore præſertim parte, quin illa ad declarandum ſimul & probandum id de quo agetur, aſſumam.

Ingerere, Latinum eſſe verbum, quàm pauci ſunt qui ignorent, tam paucos certè inuenias qui ſciant Latinum in ea quoque ſignificatione eſſe quam damus noſtro *Ingerer*: quum dicimus *S'ingerer*, de eo qui ſe ad rem aliquam faciendam, ſeu ad ſuſcipiendam aliquam prouinciam, offert, non expectans

expectans dũ rogetur, aut iubeatur id facere. At ſic Plinius iunior illo verbo vſus eſt. quum alioqui *Inferre ſe & intrudere*, ex Cicerone dicere poſſet. Cum illo autẽ verbo *Ingerere* (in eo quidẽ certè vſu) aliquid cõmune habet *Immiſcere*, in quodam loquendi genere, in quo nos vtimur verbo *Entremeſler*, quod alioqui etiam illi reſpõdet ſignificatione. Dicitur enim *Immiſcere ſe negotiis alicuius*, vt Gallicè *S'entremeſler des affaires de quelcũ*. Interdũ verò & *Se meſler*, pro eodem. Neque verò iuriſconſulti tantùm ſic loquuti ſunt, ſed & Liuius.

Leuare item nemo Latinum eſſe ignorat: ſed quotuſquiſque nouit *Leuare ſe* poſſe dici pro eo quod à nobis *Se leuer* dicitur, id eſt, ſurgere? At nunc vel vnus Naſo multos quod antea ignorarunt docebit. Ita enim ille Metamorph. lib. 2, -- *de cæſpite uirgo Se leuat*. Item Faſt. lib. 4, *Séque leuat ſaxo, ſubſequitúrque ſenem*. Itidémque dixit Metam. 8, *Dum leuat hunc Peleus*. Inuenitur autem & *Leuare manus* pro *Leuer les mains*. Quinetiã pro *auferre* legitur *Leuare*, cùm apud alios tũ Virgiliũ: quo etiã modo vtimur noſtro *Leuer*, ſed in certis quibuſdã rebus tantùm: veluti quum dicimus, *Leuez d'icy*, pro *Oſtez d'icy*, famulos ferculorum reliquias auferre iubentes.

Nam quod hodie quidam vbique ſine vllo diſcrimine *Leuer* pro *auferre* vſurpant, id verò ex Italici ſermonis conſuetudine manauit. Videtur autem hæc verbi *Leuare* ſignificatio manaſſe ab illa qua ponitur pro *Extollere*: (veluti quum dicitur *Leuare manus*) quòd plerunque illa quæ in manus ſumimus, vt auferamus, tollere in altum auferendo ſoleamus: vt videre eſt in ferculis quæ è menſa auferuntur. Quòd ſi & de compoſitis huius verbi dicendum eſt, *Eleuare* multi ſciunt poni pro *Deprimere*: at verò habere & contrariam ſignificationé, eam nimirum quam damus noſtro *Eleuer*, multi neſciunt: hi igitur Plautum ſic vti diſcant. Sic verò *Subleuare* pro noſtro *Souleuer* vſurpare poſſumus, & quidem ex ipſo etiam Cicerone.

Applicare ſe, ea in ſignificatione qua nos dicimus *S'appliquer*, ad hunc locum pertinet. quod licet valde mirum pleriſque futurum ſit, Ciceronianum eſt tamen. Ita enim De off. lib. 1, *Itaque ſe alij ad philoſophiam, alij ad ius ciuile, alij ad eloquentiam applicant.* Dicitur verò & *Applicare animum.* Habet autem noſtrũ *Appliquer* vſum quoque illum verbi *Applicare*, quo dicitur *Applicare aliquid ſtomacho*, vel *pectori.* Ita enim & nos dicimus, *Appliquer à l'eſtomach.*

Tenere ſe, vt dicitur à nobis *Se tenir*, non minus quàm præcedentia ſuſpectum multis fuerit, itidémque non minus quàm illa eſt Latinum. Intelligo autem *Se tenir*, vt dicimus, *Il ſe tient en ce lieu la*. At quis Latinorum ſcriptorũ ita loquutus eſt? inquies. Imò verò quis illorũ non eſt ita loquutus? Cicero *Tenere ſe oppido* dixit, item *domo*: Cæſar, *Tenere ſeſe caſtris*: idem, ſicut & Liuius, *Tenere ſeſe loco*. In Bruti quoque & Planci epiſtolis hic verbi iſtius vſus inuenitur. Quinetiam apud Plinium iuniorem legimus (ſi tamen eius quoque teſtimonio eſt opus) *Tenet ſe trans Tyberim in hortis*. Neque verò minus nouus fuerit pleriſque is verbi huius vſus quo dicitur *Tenere ſe nõ poteſt*, vt Gallicè, *Il ne ſe peut tenir*. At eſt tamen antiquus: quum legamus apud Ciceronem De fin. lib. 2, *Hoc loco, tenere ſe Triarius non potuit. Obſecro, inquit*, &c. Alibi, *Nec ſe tenuit quin contra ſuum doctorem librum etiam ederet*. Idem alibi, *Ego tamen teneo ab accuſando uix me, hercule*. Et his quidem modis dicitur *Tenere ſe*, quibus & Gallicè *Se tenir*. Videamus autẽ ánnon & vbi dicitur *Tenere aliquem*, hoc *Tenere* cum noſtro *Tenir* conueniat. Hic eſt noſter ſermo, *Ne me tenez pas long temps*, vel *longuemẽt*: idem ſi Latinis & quidẽ Ciceronianis

exprimere verbis volumus, & verbo eodem & aduerbio eiuſdem ſignificationis vtendum eſt: *Ne me diu teneas.* Itidémque, *Ne me diutius teneas*, pro *Ne me tenez pas plus long temps*. Ita enim ille in quadam ad Atticum epiſtola, *Ne diutius te teneam, pecunia attributa numerata eſt.* Poſſumus verò itidem dicere, *Ne me diutius ſuſpēſum teneas*, pro his noſtris, *Ne me tenez pas longuement ſuſpens.* Quinetiam vt dicitur ab illis *Teneo illum obſtrictum*, ita à nobis, *Ie le tien lié*, *Ie le tien obligé.* Eodémq; modo dicitur à nobis *Ie uous tien*, de eo quem conuictum tenemus, quo ab illis, *Teneo te*. cuius etiam ſignificationis exempla ſuppeditaturus eſt Cicero. Apud Plautum autem ita etiam dicitur *Tene*, vt à nobis *Tenez*, quũ damus aliquid. Atque vt dicuntur *tenere* locum aliquem qui in eo dominantur, ſic à nobis *Tenir*. adeo vt quod etiã eſt apud Ciceronem, *Tenere mare* (pro eo quod Græci vno verbo θαλασσοκρατεῖν) ad verbum interpretari poſſimus, *Tenir la mer*, pro *Eſtre maiſtre ſur la mer*. Dixit verò idem & *Tenere omnia*, vt dicimus *Tenir tout*, pro Habere omnia in poteſtate. Neque quod apud eundem legitur, *Firmum tenere aliquid*, poſſit melius reddi quàm ad verbum, *Tenir ferme*, etiam de eo quod animo tenetur.

Apud eundem, *Tenere hanc uiam*, vt in noſtro ſermone *Tenir ce chemin*. Item, *Tenere modũ*, vel *mediũ* ſiue *mediocritatem*, vt apud nos, *Tenir moyen*. Eſt inſuper alius verbi huius vſus, in quo etiã noſtræ linguæ cum Latina conuenit, ſed à me reſeruabitur in eum locum vbi de quibuſdam neutris verbis agã. Quid verò quòd etiã nomẽ hinc deductũ *Tenax*, nomine *Tenant*, quod itidem ex noſtro verbo deduximus (formam participii illi dantes) poſſumus interpretari? præſertim verò in ea ſignificatione qua *Tenax* de homine parco dicitur. nam alioqui pro *Tenax*, de eo quod digitis contrectantis adhæreſcit (cuiuſmodi eſt quod etiam vocamus *Gluant*) vtimur potius ipſo verbo, & dicimus, *Cela tient*, vel *Cela tient fort*. item, *Cela tient aux doits*. Neque verò procul ab hoc ipſo nomine *Tenax* diſceſſimus, quum ex *tenaci forcipe* (vt antea docui) fecimus *Tenailles*, ex voce quæ Latini nominis eſt epithetum, nomen Gallicum facientes. Ita denique ſermo noſter eorum etiam nominum quæ ex hoc verbo deducta erant retinendorum cupidus fuit, vt etiam *Teneur* dixerit eodem modo quo ab illis dicitur *Tenor*: & pro *Vno tenore*, dicere non dubitarit, *Tout d'un tenant*. quod ſignificamus & his modis, *Tout d'un train*,

Tout d'une uenue.

Quibuſdam autem locis quum vel ſimplex hoc *Tenere* vel aliquod ex eius compoſitis adhiberent Latini, lingua noſtra, tanquam optione ſibi data, cõpoſito vti maluit. Exempli gratia, vt dicimus *Cela me detient*: ſic poſſumus, eodem compoſito Latino vtentes, dicere, *Hoc me detinet.* Ita enim Flaccus initio epiſtolæ ſecundæ libri prioris, *Cur ita crediderim, niſi quid te detinet, audi.* quum Cicero *Niſi quid te tenet,* hac in ſignificatione dicturus fuerit: vt nimirum dixit in quadam epiſtola, *Si te id nõ tenet, aduola.* Sic verò non ſolùm *Teneri morbo* dictum fuit, ſed etiam *Detineri morbo*: vt nobis frequens eſt, *Eſtre detenu de maladie.* Sic quum non tantùm *Tenere* & *Retinere memoria* Latina ſint, ſed etiam *Retinere memoria*, nos compoſito *Retenir* hac in re vti maluimus.

Auferre ſe, (libet enim vna eadémque opera, quæcunque mihi ſuggerit memoria ex iis quibus eodem modo pronominis accuſatiuus interdum ſubiungitur, hîc proponere) dici etiam videmus, ſicut à nobis *S'oſter.* quod verbum *oſter* apud nos eandem cum illo *auferre* ſignificationem habet, licet voce cum illo non conueniat, ſicut præcedentia voce quoque conſentire

videmus. Terent. Phorm. Act.3, ſcena 3, *Aufer te hinc*: vt Gallicè dicimus, *Oſte toy d'ici*, vel *Oſtez uous d'ici*. At Plautus accuſatiuum rei accuſatiuo pronominis adiungens, dixit etiam, *Aufer te domum*, in Aſinaria. Non eſt autem omittendum, ab altero illo comico dictum eſſe itidem, *Te hinc amoue*, in fine eiuſdem ſcenæ. Dixerũt porro Latini & *Ferre ſe aliquò* (ſicut etiam *Referre*) vt legimus apud Virg. Georg. 4,

Quid faceret? quò ſe rapta bis coniuge ferret?

Item Æneid. 2,

-- infelix quà ſe, dum regna manebant,
Sæpius Andromache ferre incomitata ſolebat Ad ſoceros.

Cicero autem dixit, *Obuiam ſeſe ferre alicui*, in oratione Pro Plancio, *Quum ipſa penè inſula mihi ſeſe obuiam ferre uellet*. Atque his addi poteſt & aliud eodem pertinens loquendi genus, ſed quod valde antiquitatem redolet, atque adeò pro antiquo hàbẽdum videtur, videlicet *Apportare ſe in aliquem locum*: cui ſimile eſt quod dicimus *Se trãſporter en quelque lieu*. Sed, nequid deſideretur, adiiciẽdum eſt his omnibus verbum *Agere*, cum illo pronomine, & quidẽ ex eodẽ illo comico ex quo attuli *Aufer te hinc*. Legimus enim in eius Andria, *Quid tu? quò hinc te agis?* Vbi Donatus annotat,

ita loquutum eſſe vt tarditatem diſcedẽtis oſtenderet. tardos enim & triſtes dici ſe agere. Eſt vſus & Virgilius hoc loquendi genere, & quidem ita vt quod ſcribit Donatus, non vbiq; verum videri poſsit.

Verbo *Reddere* locum hunc claudere ſtatui: quòd nullum mihi inſuper memoria mea reddere nunc velit, ex iis quæ illi cõmiſerã, huc pertinẽtibus. Dicitur ergo & *Reddere ſe*, ea forma qua nos *Se rendre en quelque lieu*: vnde hodie dicimus *Le rendé-uous*, de certo loco in quem omnes cõuenire oportet. Eadẽ (inquam) forma *Reddere ſe* à Latinis dicitur: ſed videndum eſt an de alio quàm eo qui in locum aliquem reuertitur. Cic. Epiſt. ad Att. lib. 12, *Quòd domi te incluſiſti, ratione feciſti. ſed quæſo conſice, & te uacuum redde nobis.* Liuius certè *Reddere ſe conuiuio*, de eo apertè dicit qui ad conuiuiũ à quo nõ multo antè diſceſſerat reuerteretur, De bello Punico lib. 3, *Et quo minus res ſuſpecta eſſet, ſe ipſe conuiuio reddidit.* Silius idẽ narrans dixit *Reddere ſe epulis*, & Claudianus, *Reddere ſe labori.* Verùm non ſolùm dicitur quis reddere ſe, ſed alius eum reddere. vt apud Ciceronẽ in Epiſt. ad Q. fratrem, *Hominem conueni, & ab eo petiui ut quamprimum te nobis redderet.* Horatius verò eleganter dixit, nauem

alloquens,—*finibus* Atticis Reddas *incolumẽ precor.* ſed hæc verba præfigens, — *quæ tibi creditum* Debes Virgilium. Apud nos autẽ dicet nauta, Ie *uous promets de uous rendre là un tel iour*, ad verbum, Promitto *me uos redditurum ei loco illo die.* Sed eadem opera alias huius verbi ſignificationes, quæ cum noſtri verbi ſignificationibus cõueniunt, & ſuſpectæ eſſe poſſunt, examinabo: ac de eo quod Latinis vulgare eſt Reddere *literas*, vt nobis Rendre *les lettres*, tacebo: potiúſque initium ſumam ab hoc Ciceronis loco, Epiſt. ad famil. lib. 8, *Suſcepíque mihi perpetuam propugnationem pro omnibus ornamentis tuis: ueteriq; noſtræ neceſſitudini iamdiu debitum, ſed multa uarietate temporum interruptũ, officiũ cumulatè reddidi.* Hîc enim Reddere *debitũ officiũ* eſſe aio quod Gallicè dicimus (interpretãdo adverbũ duas priores voces) Rendre *le deuoir.* Item puer ab Horatio dicitur præceptori vel magiſtro *dictata reddere*, vt à nobis Rendre *ſa leçon à ſon maiſtre.* Fabius verò dixit etiam *partes orationis reddi*, loquens de diſcipulo, libri 1, cap. 8, *In prælegendo grammaticus & illa quidem minora præſtare debebit, ut partes orationis reddi ſibi ſoluto uerſu deſideret & pedum proprietates.* Ad alium vſum, qui valde frequens eſt, venio: quo nimirum terra vel

ager *reddere* dicitur frumētum, vel alium fructum, apud Varronem, Columellam, alióſque rei ruſticæ ſcriptores, ſicut à nobis *Rendre*. Hoc autem quum dicitur, ad ſemen terræ creditum ſeu commiſſum reſpicitur: vt eleganter ſcripſit Tibullus,

Spes alit agricolas, ſpes ſulcis credit aratis
Semina, quæ multo fœnore reddat ager.

Monendus autem mihi eſt hoc loco lector, eſſe qui pro *Reditus*, ſignificante quod Græci πρόσοδον appellant, ſcribendum *Redditus* contendant, nimirum ex illo *Reddere* deducentes, & quorundam etiam exēplorū teſtimonio nitentes: at ego nō video cur potius *Redditus* ſcribere oporteat in hac προσόδου ſiue ἐπικαρπίας ſignificatione, id eſt, eius quod Cicero mercedem prędii vocauit. contrà autē video cur *Reditus* ſcribere multo ſit tutius. Præterquā enim quòd *reditus* apud poetas in iſto vſu primam habet breuem, illi ipſi ſcriptores qui verbo *Reddere* ita vtuntur, etiam *Redire* ita vſurpant. ex iis autem eſt Varro, apud quē legitur, libri primi cap. 44, *Quare obſeruabis quantum in ea regione conſuetudo erit ſerendi: ut tantum facias quantum ualet regio ac genus terræ, ut ex eodem ſemine aliubi cum decimo redeat, aliubi cum quintodecimo, ut in Hetruria & locis aliquot in Italia. In Sybarita-*

no dicunt etiam cum centeſimo redire ſolitum: in Syria ad Gadara, & in Africa ad Byzacium item ex modio naſci centum. Neque verò dignam exiſtimaſſem illam ſcripturam in qua refellenda operam ponerem, niſi Budæo etiam, viro, conſenſu omnium, linguæ vtriuſque doctiſsimo, placuiſſe viderem. Nam eos qui hodie non huius tantùm vocabuli ſed aliorum quamplurimorum ſcripturam innouant, nihil moror.

Vt autem terra dicitur fructum reddere, ita flores *reddere odorem*, vel *odorem ſuauem*. Noſtra lingua hoc quoque imitans, dicit, *les fleurs rendent odeur*, vel *une bonne odeur*. Imitatur & hoc Ciceronis ac Liuii, *Reddere ſpiritũ*, dicens itidẽ *Rendre l'eſprit.* quũ alioqui & *Reddere animã* pro eodẽ dicatur. Tam diligẽter denique noſtrum *Rẽdre* vſus Latini *Reddere* imitatur, vt etiam (honor ſit auribus) in eo quod dicunt *Reddere urinam*, & in eo quod huic ſimile eſt, *Reddere excrementa*, ipſum ſequatur: necnõ vbi vtuntur pro *vomere*, dicentes aliquem *reddere quod ederit.*

Lectoris nunc fuerit, exemplis iſtis admoniti, quum alicuius verbi Gallici diuerſos vſus exprimere Latinè volet, antequã diuerſa verba Latina procul quærat, videre ánnon vnum idémque quod vocem

Gallis valde vicinam habeat,ſatis eſſe illis omnibus exprimendis poſsit. Neque verò his tantùm exemplis à me admonebitur,ſed aliis inſuper multis,quæ afferam vbi de loquẽdi generibus agam.

Nunc autem in neutris quibuſdam verbis lectori ſpectandũ proponam quod in actiuis propoſui. Ac quoniã,quũ de verbo *Tenere* agerem, quaſdam eius ſignificationes, in quibus neutrius verbi eſt vice, in hunc locum reſeruaui, ab eo incipiam. Quemadmodum igitur *Teneo hanc opinionem* dicitur,aut certè *hanc ſententiã*,eo ſenſu quo à nobis *Ie tien ceſte opinion*, ita etiã dici ſciendum eſt,neutralem vſum dando illi verbo,*Tenet illa ſentẽtia*. Legimus enim in quadam Plinii epiſtola, *Sic ex tribus ſententiis duæ factæ: tenuitque ex duabus altera, tertia expulſa*. Sic certè & nos dicimus, *Ce qui auoit eſte ordonné,n'a pas tenu*. vel, *Ce qui auoit eſté conclu*. Quinetiam Columella de planta vſus ita eſſe videtur vt cum noſtro verbo conuenire poſsit,eo modo quo dicitur, *Cela tient bien*. vel, *Cela tient ferme*.

Quum item quaſdam verbi *Reddere* ſignificationes recenſui, cuiuſdam vſus verbi *Redire* exemplum attuli,in quo cum noſtro *Reuenir*(quod ſignificatione illi reſpondet) conſentire non admonui: quòd

hîc à me aptius id factum iri exiſtimarem. Sciẽdum eſt igitur, quemadmodum in illo Varronis loco *redire* eſt quod alia voce *prouenire* dici poſſet, ſic nos quoque dicere eadẽ in re, *Il en reuient*, vel *Il en prouient*. veluti vbi ſcribit etiam Plinius, *Cato denos culeos redire ex iugeribus ſcripſit.* Audi verò & aliam ſignificationẽ in qua cum noſtro *Reuenir* prorſus conſentit. Ea eſt qua dicitur (& quidem Ciceronis etiam exemplo) *Quid ad me redit ex ea re?* Sic enim & nos, *Que me reuient il de cela?* At verò *Redire ad ſe*, tale eſſe quale nobis *Reuenir à ſoy* (pro quo etiam dicitur *Retourner à ſon bõ ſens*) non perinde nouum fortaſſe nonnullis videbitur.

Durare ex illis eſt quæ ad hunc locum pertinent: quum multi barbarum eſſe hũc ſermonem exiſtiment, *Hoc diu durabit*, aut etiam *longum durabit*, vel *in longum durabit* (vt Statius loquitur) pro hiſce noſtris verbis, *Cela durera longuement.* Multo autem magis ſuſpecta hæc fuerint, quæ à me & antea commemorata fuerunt, *Durare nequeo in ædibus*, pro his noſtris, *Ie ne puis plus durer en la maiſon*, vel *Ie ne ſcauroye durer.* Sunt tamen Plauti verba illa, in Amphitruone: itidémque in Aſinaria dixit, *Non queo durare.* Neque verò Terentius eum

in iſto verbi *Durare* vſu imitari noluit. legimus enim apud eum in Adelphis, *Non hercle hîc quidem durare quiſquam,ſi ſic fit,poteſt.* Atq; vt dicimus etiam,,*Ie ne puis durer que ie ne face cela*,vel *ſi ie ne fay cela*: ita etiam vetus ille comicus in Curculione dixit, *Sedenim nequeo durare quin ego herũ accuſem meum.*

Quid? verbo *Sedere* ſiquis ita vtatur vt Fabius vſus eſt,quum dixit *togam melius ſedere*,nónne Gallicum ſermonem imitari potius quàm vllum ſcriptorẽ Latinum videbitur?Ita enim dicimus, *Ceſte robbe uous ſied bien.*Fabii locus eſt lib.II, cap.vltimo, *Pars togæ quæ poſtea imponitur, ſit inferior. nam ita & ſedet melius & continetur.*

Magis etiam mirabuntur multi quod nunc dicam:nimirum inueniri illũ ipſum verbi *Trahere* vſum quem damus noſtro *Trainer* (quod & in vulgari ſignificatione illi reſpondet) quum dicimus de eo qui diu ægrotat,*Il traine*.Sic autem vſus eſt verbo *Trahere* Cornelius Celſus,non ignobilis autor Latinitatis, *Autumno ferè ægroti, qui cætera parte anni traxerunt, reſoluuntur.* Idem, *Siquis in eo morbo diutius traxit.* Alicubi verò non tanquam neutro vſus eſt, ſicut in his locis,ſed dixit morbum trahere ægrotos.Nam de inteſtinorum læuitate

hoc inter alia dicit, *Id malum interdum ægrotos trahit, interdum præcipitat.*

Hoc autem verbum *Trahere* ita ſine adiectione poſitum in illis prioribus Celſi locis, mihi in memoriam reducit quendam verbi etiam *Habere* vſum: cuius hîc mentionem faciam, non quòd itidem neutrius verbi locum obtineat, ſed quòd ſine adiectione ponatur. Ita igitur Terentius Andria, ſcena I, *Egomet continuò mecũ, Certè captus eſt, Habet.* Quid hoc verbi eſt, *Habet?* nimirum quod dixeris Gallicè, vtens eiuſdẽ ſignificationis verbo, *Il en ha.* Nam & Donatus exponit, Vulneratus eſt: addens, eum dici *habere* qui percuſſus ſit: & propriè de gladiatoribus: quòd prius alii videant quàm ipſi ſentiant ſe percuſſos. At Virgilius non dixit *Habet,* ſed *Hoc habet,* AEn. vltimo,

-- at feruidus aduolat haſta
Meſſapus, telóque orantem multa trabali
Deſuper altus equo grauiter ferit: atque ita fatur,
Hoc habet, hæc melior magnis data victima diuis.

Vt autem ſemper aliud ex alio, Horatiani verbi *Serua* mirè itidem ſine adiectione poſiti recordor, quod eodem modo cũ verbo noſtro cõuenire dici poteſt.

Legimus enim apud eum Sat.3,libri 2,

-- clamet amica

Mater, honeſta ſoror, cum cognatis, pater, uxor:

Hîc foſſa eſt ingens, hîc rupes maxima: ſerua:

Non magis audierit, &c.

Quid autẽ hîc fuerit *Serua*, niſi quod *Gardez* dicimus?& quod Græci φυλάττου dicere ſolent? Neque verò dubito quin ſicut addimus plerunque pronomen illi noſtro verbo, dicentes *Gardez vous*, ſic etiam ſubaudiendum cum illo *Serua* relinquatur. Atque hîc obſeruatione digniſsimum eſt, in Latina pariter & Græca lingua vnum idémque verbum duos illos habere vſus quos & noſtrum habet. quanuis enim Græci paſsiua aut media voce potius vtantur in hac ſeruandi ſignificatione, idem tamẽ verbum eſſe non immeritò dixerimus. vt omittam, me in actiuâ quoque voce hanc ſignificationem inueniſſe. Scio eſſe qui *Serua* in loco illo exponant Obſerua: ſed viderint.

Porrò, vt præcedentium verborũ eundẽ in vtraque lingua vſum eſſe cognouimus, ſine adiectione (qui vſus in Latina lingua adeo eſt inſolens, vt qui Latinitatẽ illam ſuſpectam alioqui habuiſſent, venia digni iudicandi fuerint) ita cuiuſdã Gallici vſum proponam,

proponam, idem loquendi genus exprimentis cum Latino(cuius eadem eſt vox) ſed ita vt in Gallico nulla ſit adiectio, quũ tamen ſit in Latino. Loquor de his verbis *Fama tenet*, quibus Liuius nõ ſemel vtitur. veluti quum ſcribit, *Tenet fama, quum fluitantem alueum, quo expoſiti erant pueri, tenuis in ſicco aqua deſtituiſſet, lupam ſitientem, ex mõtibus qui circa ſunt, ad puerilem uagitum curſum flexiſſe.* Alicubi autem dicit *Fama ita tenet*. Itẽ, *Fama tenuit*. Nã hîc nõ poſsis itidẽ dicere, *Le bruit tient*, pro his, *Fama tenet*: at poſsis, vtendo ſolo verbo imperſonaliter, dicere, *On tient*.

Metaphorae quoque ſuſpecta quædam verba reddunt: ideóque de illis etiam aliquid dicendum eſt. Exempli igitur gratia, *Colorare* nemo eſt qui non fateatur eſſe Latinum, ſed in metaphorica ſignificatione, qualem damus noſtro *Coulourer*, pauci Latinum eſſe dixerint. Atqui vſus ita eſt Lactantius, lib. 1, cap. 17, *Inceſtũ quod nullo modo poſſit colorari*. Sed quid Lactantium teſtem laudo, quum Valerii Maximi teſtimonium non deſit? Ita enim & hic, *Libidinoſam liberalitatem debiti nomine colorando*. Sic autem & *Colorem* pro prætextu vſurpari (quemadmodũ & nos vtimur noſtro *Couleur*) notũ fortaſſe lectori erit.

Sic *Infringere* vix quiſquam eſt qui Latinum eſſe neſciat: ſed multi ſunt tamen è noſtris qui ſi audiant *Infringere legem*, exiſtimaturi ſint id ſermonis noſtri exemplo dici, & hæc noſtra verba *Enfreindre la loy*, licentioſius illis repræſentari.

Corrũpere adoleſcentem familiare eſt Plauto præſertim pro Deprauare eius mores: quod tamen plerique neſciẽtes, vix auſuri ſint pro noſtro *Corrompre*, hac in ſignificatione vti Latino illo *Corrumpere*. Idémque ſentiendum & de *Corrũpere*, eo ſenſu quo iudicẽ corrumpere dicitur aliquis.

De *Poſſidere* itidem nemo dubitat: ſed *Poſſidere aliquem* metaphoricè dictum, eo modo quo dicimus *Poſſeder quelcun*, multis ſuſpectum fuerit, tanquam è Gallico illo effictum: quum tamen Ciceronem ipſum ita loqui antea oſtenderim.

Floret ætate ſiquis dicat, vt ſermone noſtro dicitur *Il eſt en fleur d'aage*, eodem ſuſpectum modo pleriſque fuerit.

Idem ſentiẽdum & de *Applaudere alicui*, pro *Applaudir à quelcun*.

Suſpectum fuerit vel maximè & verbũ *Triumphare*, ea dictũ metaphora qua vulgò dicimus *Triompher*: veluti quum ita loquimur, *Ie triompheray ſi ie puis obtenir cela.* videtur enim non ſine exẽplo poſſe itidẽ

dici, *Triumphabo ſi poſſim illud obtinere.*

Multo plura proponere exempla poſſem verborum quæ in metaphorico vſu, conueniente cũ noſtro, ſuſpecta itidẽ eſſe poſsint: ſed his lectorẽ cõtentum fore ſpero, præſertim quum quædam alia, vbi de loquendi generibus agam, ſim propoſiturus. Sciendum eſt autem conſtructione quoque noſtris ſimiles in verbis Latinis eiuſdem ſignificationis falsò plerunque ſuſpectas eſſe: ſed earum exempla reſeruabo in eum locum vbi de præpoſitione agam.

CAPITIS SECVNDI PARS SECVNDA.

Ad verba nunc ea venio de quibus non eadem quæ de præcedentibus controuerſia fuerit, an videlicet in certa quapiã ſignificatione pro Latinis habẽda ſint, quum alioqui vno omnes ore Latina eſſe fateantur: ſed an eius ore qui Latinè loqui velit digna ſint, dubitatur. Exẽpla autem, vt alibi, ita etiam hîc, ex quamplurimis paucisſima proferam. Tale eſt igitur *Moleſtare,* reſpondens noſtro *Moleſter.* Scio enim pleróſque verbi illius *Moleſtare* vſum refugere, tanquam barbari aut certè ſemibarbari. At Modeſtinus & quidam

alii iuriſconſulti illo vti non dubitarunt. Idem verò & de *Inquietare* (quod ad eandem ſignificationẽ pertinet) dicendũ eſt, vnde fecimus *Inquieter*. Hoc enim quũ multo etiã plures & grauiores autores, quàm illud, habeat (neque enim iuriſconſulti tã tùm vſi ſunt) barbariei tamen ſuſpectum itidem eſt. Quid verò hæc in dubium venire quis miretur, quum ne *Cõtriſtare* quidem, id eſt *Contriſter*, licet Virgilianum etiam verbum, à ſuſpicione ſatis tutum eſſe poſsit?

Taxare ex falsò ſuſpectis eſt, pro noſtro *Taxer*, & quidẽ in vtraq; huius ſignificatione. nã vt *Taxer* & pro *Reprehendere* ponitur & pro *Aeſtimare*, ſic etiam *Taxare*: ſed in hac poſteriore ſignificatione ſunt qui pronuntient *Tauxer*: pro qua ſcriptura facit nomen *Taux*: quum dicitur *Le taux du iuge*. Alioqui certè Græca origo τάξαι nequaquam literam v hîc admittit.

Corripere etiam in ea ſignificatione quę priori illius verbi *Taxare* eſt affinis, ſunt qui eccleſiaſticũ duntaxat eſſe verbũ exiſtiment. ſed hoc vt verum eſſe poſſet, Suetoniũ, Plinium iuniorem, Cælium in epiſt. ad Ciceronem, quinetiam inter poetas, Horatium, Naſonem, Lucanum, eccleſiaſticis ſcriptoribus accenſere oporteret.

Lubenter autem hoc verbo vſi ſunt iſti, quòd apud Bibliorum interpretem, aut interpretes, frequenter occurrat. nam & in Teſtamento nouo adhibetur interpretationi verbi ἐλέγχειν (quod ibi aliquantum à prima & vera ſignificatione diſcedit) itẽ verbi νουθετεῖν, necnon παιδεύειν. Lucæ 23, παιδεύσας οὖν αὐτὸν ἀπολύσω. Vbi miretur quiſpiam eum hîc quoque verbo *Corripere* eſſe vſum, quum παιδεύειν hîc poni conſtet pro Caſtigare. Sed ſi Suetonius ita vſus eſt, cur illis quoque ſic vti non licuit? Eſt autem animaduertẽdum, illud παιδεύειν, omnino reſpondere ei quod vulgò dicitur *Donner la diſcipline*: quod loquẽdi genus ex monachorum cœnobiis manaſſe videri poteſt. Eſſe porro & alia vocabula quæ eccleſiaſtica falsò vocentur, aut quorum fides penes veterem illam Bibliorum interpretationem tantùm eſſe debere falsò exiſtimetur, docebo in ſequentibus.

Verùm vt in iis potius pergam verbis quæ minima cum immutatione in noſtra lingua extant (nam omnia perſequi non longum tãtùm ſed infinitum etiam eſſet) vidi qui non crederent, quod dicimus *Deuiner*, Latinè dici *Diuinare*: ac multo etiam minus perſuadere ſibi poſſent Latinos *diuinum* appellaſſe quem nos vocamus *Vn*

deuin:quum tamen ipſum etiam Ciceronẽ hoc Nomine,ſicut & illo Verbo,vſum eſſe conſtet.

Accommodare & *Incommodare* pro noſtris *Accommoder* & *Incommoder*,in illo ſunt numero: item *Concordare* & *Diſcordare*, quib⁹ reſpondent noſtra *Concorder* & *Diſcorder*.at verò *Accorder* fateor nõ item habere quod ſibi reſpondeat. Quinetiã *Approbare*,ſicut *Reprobare*,vidi quibus ſuſpectũ eſſet: quũ tamen longè alia huius quàm illius ſit ratio.nam *Approbare* tot paſsim confirmatur teſtimoniis vt mirũ ſit vllos ob Gallicæ vocis vicinitatem de illius Latinitate dubitare,ac pudere illos huius dubitationis oporteat. at *Reprobare* multo minus eſt vſitatum: atq; adeo ex duobus Ciceronis locis,vnde affertur,in vno non *reprobauit*,ſed *re probauit* diſiunctè ſcribendum eſſe manifeſtum eſt: de altero propter lacunam,quæ eſt in iis quæ proximè præcedunt,minus tutò ferri iudicium poteſt. Potiſsimum autem appellatio illa eccleſiaſtica *Reprobi* ſuſpectum hoc verbum reddit: quum tamen *reprobos nummos* Vlpianũ dixiſſe,antea oſtenderim. *Terminare* itẽ, & cõpoſita *Exterminare* ac *Determinare*,in eodẽ ponẽda eſſe albo nõ ignoro: ſed minus fit iniuriæ poſtremo quàm cæteris

duob⁹: quòd in ea qua nos vtimur ſignificatione, recẽtiorum dũtaxat eſſe videatur. Quid quòd *Allegare* etiam & *Relegare* in ſuſpicionẽ veniũt? Imò verò & alia multa in eandem venire comperi, quæ vel referre pudeat. Non omittam tamen *Portare*, cum ſuis compoſitis, *Apportare* & *Reportare* & *Tranſportare*. quæ quũ audiunt plerique, audire ſibi videntur verba ex Gallicis facta, *Porter*, *Apporter*, *Reporter*, *Trãſporter*, At ſunt Latina tamen illa, vel potius Latiniſsima: ex quibus vnum *Apportare* ſuos propemodum omnes vſus noſtro *Apporter* commodauit: adeo vt non ſolùm dicere poſsimus *Quod nuntium apportas?* pro noſtris hiſce *Quelle nouuelle apportez-vous?* ſed pro eodem ſimpliciter etiam, *Quid apportas?* vel *Quidnam apportas?* (& quidem ex Terẽtio) vt nos dicimus *Qu'apportez-vous?* Nihilo autem magis eſt quod vereamur dicere, *Apportare damnum*, pro his *Apporter dommage:* quum idem comicus ita loquutus ſit. At verò *Reportare* & *Tranſportare* ſcio aliquos etiam vſus habere præter illos quos habent noſtra illa *Reporter* & *Tranſporter*. Ac certè quod dicimus *Se trãſporter en quelque lieu*, ſi nõ licet dicere *Trãſportare ſe in aliquem locum* (quanuis vetus quidam poeta dixerit *Apportas te in hæc*

loca)at poterit vti alio,videlicet *Trãsferre*, quod ſi non voce at certè ſignificatione planè reſpõdet illi noſtro verbo.Ita enim loquutus eſt Horat. Carm. lib.1, -- *& uocãtis Thure te multo Glyceræ decorã Tranſfer in ædẽ.* Sic pro *Trãſportare exercitũ* dicitur etiam *Transferre exercitum.* Neque verò mirandum fuerit hæc ſuſpecta nonnullis eſſe, præſertimque illud *Apportare*, quum etiam *Annuntiare* & *Renuntiare* ad ſignificanda noſtra *Annoncer* & *Renoncer* in ſuſpicionem apud vulgus venire ſciam, præſertim tamen poſterius hoc *Renuntiare*. Atq; hîc aliquid in mentem venit quod obſeruaui,& de quo lectorem commonefaciẽdum cenſeo.nimirum in pleriſque verbis quæ duos vſus habent, aut etiam plures, quorum vnus dũtaxat in voce noſtra(quę tamen Latinæ ſimilis eſt) retinetur, contingere vt hic ſuppoſititius & ex noſtro ſermone fictus videatur.Sic plerique meminerint quidem illius ſignificationis verbi *Renuntiare* qua pro ſimplici *Nũtiare* ponitur,at verò pro noſtro *Renoncer* ſuſpectum habebunt.

Quędam alioqui ſunt quæ ſuſpecta eſſe minus mirari debemus,quanuis & ipſa falsò ſuſpecta ſint,quorum alia ex vetuſtioribus ſcriptoribus, alia ex recentiorib⁹ pe-

tita ſunt. Ex illis eſt *Grādire* Plautinū, pro noſtro *Aggrandir*, & *Pauperare* pro noſtro *Appauurir*: item quæ ſignificationem priſcam diuerſam omnino habent ab ea quæ poſtea obtinuit, & quam nos quoque in noſtris verbis quæ voce ſunt ſimilia retinuimus. Tale eſt *Decollare* pro *De collo deponere*, apud Cæcilium, *Habes, uide, tibi tradidi: in tuo collo eſt, decolles caue.* at noſtrum *Decoller* ſignificationem recentiorem ſequitur. Tale item eſt *Euitare* pro *Vitam eripere*, in quodam etiam veteris poetæ loco apud Ciceronem. Quæ verbi *Euitare* ſignificatio ſi nota fuiſſet illis qui olim in hoc D. Pauli loco, *Hæreticum hominem poſt unam & ſecundam correptionem deuita*, aiebant *deuita* eſſe *uita priua*, habuiſſent quo melius ſuæ expoſitionis honori conſulere potuiſſent. At verò ex recentioribus ſunt quædam illorū quæ antè fuerunt commemorata: quibus addi poteſt *Reformare*, in illa quidem certè ſignificatione qua vtimur noſtro *Reformer*. Item *Exaltare*, quo vtitur Columella in propria ſignificatione, vetus autem Bibliorū interpres in metaphorica ſæpe. Item *Abbreuiare*, & huic oppoſitum *Prolongare*. Quibus addi poteſt *Obuiare*. quum fides exemplaribus illis nullo modo ſit adhibenda quæ habent *obuiatum* in hoc Salluſtii loco

Tum primùm ſuperbiæ nobilitatis obuiatũ eſt: ſed illis in quib⁹ legitur, *obuiã itum eſt*. At Macrobii ſtylo dignum hoc verbum fuit, quemadmodum & proximè ſequentia, quæ ſunt ex nominibus verbalibus formata. *Fomentare* pro *Fouere* (hoc enim eſt ex nomine *Fomentum*, quod à verbo illo *Fouere* habet originem) *Augmentare*, pro *Augere*: factum eodem modo ex huius verbali nomine *Augmentum*. Tale eſt etiã *Coniecturare* quo vtitur Seneca pro *Coniicere*, ex huius verbali nomine *Coniectura*. Hæc autem pro noſtris, *Fomenter*, *Augmenter*, *Cõiecturer*.

Sed minimè putandum eſt ea tantùm ſuſpecta eſſe poſſe, quæ vt voce, ita etiam ſignificatione cum linguæ noſtræ verbis conueniunt. contrà enim quædam apud ipſum etiam Ciceronem reperiuntur, quæ multi ne pro Latinis quidem ſint habituri: ex quibus eſt *Tranquillare*. hoc enim nõ minus mirũ quibuſdã videri poſsit quàm *Reuenire*, quod ex priſca Latinitate eſt mutuatus: idémque & de illo altero dici fortaſſe poteſt: licet Horatius quoque vtatur.

Ne hoc quidem omittendum eſt, quorundam ſuperſtitioſam curam in vitandis, quoad fieri poſsit, verbis quæ planè vt voce ita etiam ſignificatione cum noſtris cõ-

uenirent, feciſſe vt verbum *Periurare* diu pro derelicto habitum fuerit: quaſi verò *Peierare* quidem Latinum, at *Periurare* Latinogallicum (vt ita dicam) eſſet. Quod autẽ hîc vſuuenit, vt ſermo noſter ex duabus illis vocibus quæ valde ſunt ſimiles, alteram falsò ſuſpectam pleriſque reddat, idem & alibi vſuuenire ſciendum eſt. Recordor enim & verbi *Accredere*, quod itidem ex noſtro *Accroire* effictum eſſe, vidi qui ſuſpicarentur, quum tamen apud Plautum illud Latinum extet: eo nimirum in vſu quo dicimus *Accroire de l'argent à quelcun*. Quid verò quũ *Faire accroire* dicimus? an hoc quoque ex Latino illo manaſſe putandum eſt? Ego duos locos, qui huic interrogationi pro me reſpõdeant, afferam. hunc Horatii, Epiſt. 15, libri primi, *Scribere te nobis, tibi nos accredere par eſt.* & iſtũ Columellæ, libri 1, cap. 1, *Idque etiam non ſpernendus autor rei ruſticæ Saſerna uidetur accrediſſe.* Neque tamen ignoro fuiſſe tam audacem quorundam ſuſpicionem vt in illo Horatii verſu vocem vnam *accredere* in duas *ac credere* diuiſerint.

CAPITIS SECVNDI PARS TERTIA.

DE COMPOSITIS quibuſdam (præter illa quorum in præcedētibus facta ſparſim fuit mentio)hac in parte agere inſtitui,& quàm multa illorum etiam falsò ſuſpecta ſint,oſtendere. Verùm antequã ad ea compoſita veniam quæ illa potiſsimum vocis affinitas quam cum noſtris ha bent ſuſpecta reddere videtur, lectorem monebo, quædam eſſe quæ licet noſtris non itidem voce ſimilia ſint, in ſuſpicionem tamen & ipſa veniunt. Ex eorum numero eſt R*eſarcire*. huius enim vſum in quibuſdam noſtræ ætatis ſcriptoribus reprehenſum eſſe ſcio, quũ tamen apud Terentium,necnon apud Ciceronem, extet. ac ne in loco Terētii pro *reſarcietur* (quod de veſte diſciſſa dicit) legendum quis con tendat *ſarcietur*,vetat Ciceronis autoritas, in oratione pro Cælio hunc comici illius locum afferentis. Eſt verò & aliud cuius lectorem monēdum cenſeo:nimirũ quoſdam immeritò refugere cõpoſita quibus eadem illa præpoſitio inſeparabilis (vt vo cant grammatici) præfixa eſt, & illorum duntaxat vſum ſibi permittere quæ eidem illi verbo aliam præpoſitionem præfixam

habent. Cuius rei exemplum extat in *Reualeſco* & in *Reſtauro*. & in hoc quidem dicere poſſumus, eam quæ eſt cum Gallico verbo vocis affinitatem in errorem illos impellere: at in illo non item. *Reualeſco* certè (pro quo illi audent tantùm vti altero compoſito *Conualeſco*) Latinum eſt, ſi qua eſt non ſolùm Gellii, ſed etiam Naſonis, in Latinitate autoritas. Sic etiam *Reſtauro* (pro quo multi fas ſibi dũtaxat eſſe putant vti compoſito *Inſtauro*) Latinum eſſe aio, niſi Tacitũ & Iuſtinum, ſiue Frontonem, minimè Latinè loquutos eſſe dicẽdum ſit. Sic autem & vocem *Refugium* ſtultè quidam refugiunt, & Latinitatem *Perfugium* tantùm ſibi permittere exiſtimant: quum tamen *Cõfugium* etiam ac *Suffugium* inueniantur: ſicut nimirum à Græcis non ſolùm καταφυγὴ, ſed etiã ἀναφυγὴ & ὑποφυγὴ necnon προσφυγὴ dicitur.

Nunc ad illa compoſita venio, quæ quũ voce pariter & ſignificatione cum noſtris conueniant, ſuſpecta ſunt plurimis, tanquam ne vllo quidem modo Latina, aut certè non in illa ipſa ſignificatione: quum alioqui in pleriſque ſimplex, cuius itidem vocem vnà cum ſignificatione retinemus, nequaquam ſit ſuſpectum. *Venire* igitur (vt de eo primùm dicam, quod primum

memoriæ ſe offert) pro noſtro *Venir*, quin Latinum ſit, nemo dubitat: fortaſsis etiam nemo de *Superuenire* pro Gallico *Suruenir*: at multi (ſi verum fateri velint) ſeſe de *Interuenire* dubitare fatebuntur, pro noſtro *Entreuenir*: multo etiam magis de *Reuenire* pro *Reuenir*, & *Conuenire* pro *Conuenir*: id eſt Siſtere iudicio. Verùm de illis quidem duobus *Reuenire* & *Conuenire* dictum fuit antea (de *Cōuenire*, inquam, vt iuriſconſulti poſt Plautum eo vtuntur: alii autem vſus quos itidem retinet noſtrũ *Conuenir*, ſatis cuilibet noti eſſe poſſunt) at nunc aliorum compoſitorum facienda mentio fuerit, ab illis, *Superuenire* & *Interuenire*, incipiendo. *Superuenire* igitur pro noſtro *Suruenir*, ex variis variorum ſcriptorum locis notius eſt (eſſe quidem certè debet) quàm vt in dubium vocari poſsit. *Interuenire*, licet minus fortaſſe notum, eſt tamen apud quoſuis ſcriptores non infrequens: adeo vt hoc tantùm addendum eſſe videatur, nos illum etiam vſum dare noſtro *Entreuenir* quem iuriſconſulti dant ſuo *Interuenire*. Ex *Deuenire* fecimus itidem *Deuenir*: ita vt hæc Latina (exempli gratia) *Deuenit ad maturitatem*, poſsis hiſce Gallicis interpretari, *Il eſt deuenu meur*. Eodémq; modo hæc, *Deuenit in morbum*, iſtis,

Il eſt deuenu malade. Neq; verò nullum nobis vſum præbet *Diſconuenire.* nam *Diſconuenit inter nos*, (quo vtitur Horatius) eſt id quod dicimus *Nous diſconuenons.* Quinetiam nomē *Diſconuenance* hinc deduximus quaſi dicas *Diſconuenientiam*: vt pro cōtrario *Conuenientia* dicimus *Conuenance.* At verò *Contrauenire* nō auſim dicere ſignificatione quoque reſpondere noſtro *Cōtreuenir*, quòd nondum talem omnino illius vſum inuenerim, qualis eſt huius. vt omittam, apud Ciceronem ſcribendum potius eſſe *contra ueniret*, diſiunctè, quàm *contraueniret* coniunctè: & in alio loco *contra ueneris* potius quàm *contraueneris.* ſicut nimirum apud eūdem in Academicis quæſtionibus *reprobauit* coniunctè in pleriſque exemplaribus legitur pro *re probauit.* Compoſito *Subuenire* quāuis vltimum locum dederim, aliquid tamē obſeruatione digniſsimum habeo quod de illo proponam: nimirum linguam noſtram ex eo feciſſe duo, videlicet *Subuenir* (pro quo malè ſcribunt plerique *Suruenir*, confundentes cum eo verbo quod ex *Superuenire* deduximus) & *Souuenir.* & in illo quidem verbo *Subuenir* planè ſequi vulgarē illius *Subuenire* vſum (vt *Subuenire pauperibus*, pro eo quòd dicimus *Subuenir aux paures*,

eodémque modo, *Difficultatibus alicuius ſubuenire*, pro his noſtris *Subuenir aux neceſſitez de quelcun*) at verò in *Souuenir* (pro *Soubuenir*, hoc autem pro *Subuenir*) alium verbi vſum ſequi, ſimilem ei quem habet Græcum verbum ἐπέρχεσθαι, quod eadẽ ratione ex ἔρχεσθαι, ſignificãte itidem *venire*, eſt compoſitum. Sed vbi huius ſignificationis exemplum in Latino *Subuenire* extat? Etiamſi nullũ afferri poſſet ex iis quæ ſuperſunt Latinorum ſcriptis, noſtram tamen linguam hîc quoque verbi Latini ſignificationem vnà cum voce accepiſſe crederem: quòd in quibuſdam aliis noſtræ linguæ vocabulis, quæ & ipſa ſunt è Latinis facta, obſeruarim quaſdam ſignificationes, quas quum Latina ipſa minimè à quoquam exiſtimarentur habere, ipſe contrà earum exẽpla tãdem repererim. Quòd ſi non reperiſſem, credibile eſſe dixiſſem, etiamſi apud nullum extaret eorum ſcriptorum qui ad tempora noſtra peruenerunt, ex aliis tamen quempiam ita vſum fuiſſe: aut etiam ex illis ipſis aliquem, in iis quidem certè ſcriptis quæ interciderunt. Sedenim ad illam verbi *Subuenire* ſignificationem quod attinet, quanuis à nemine (quod ſciam) obſeruatam, vnius tamẽ eorum qui quotidie multorum manibus teruntur

runtur, autoritate confirmabo. Is eſt Statius in hoc loco, Theb. I,

Quòd ſi priſca luunt autorũ crimina gentes,
Subuenitque tuis ſera hæc ſententia curis,
Percenſere æui ſenium, quo tempore tandem
Terrarum furias abolere & ſecula retro
Emendare ſat eſt?

Mihi enim dicenti *Subuenire* hoc in loco Græci ἐπέρχεσθαι ſignificationem habere, neminem fore puto qui non aſſentiatur. Dico autem ἐπέρχεσθαι, non ὑπέρχεσθαι (quãuis in hoc melius etiam præpoſitio Græca Latinæ reſpondeat) quòd vnicum huius exemplum inuenerim, & quidem mihi ſuſpectum, vt in meo Theſauro Græcæ linguæ docui. Obſeruandum præterea eſt, verbum quoque *Succurrere*, metaphora planè ſimili (quum *uenire* & *currere* eodem pertineant) illam vulgarem de qua prius dixi ſignificationem, ſimúlque hanc poſteriorem habere: nos tamen noſtro *Secourir* quod ex illo *Succurrere* fecimus, priorem duntaxat dare, eam nimirum qua ponitur pro *Opitulari*. Libet autem eadẽ opera & alia huius formæ compoſita cum noſtris conferre. Sicut igitur ex *Succurrere* fecimus *Secourir* (nã *currere* nobis eſt *courir*) ita *Accourir*, ex *Accurrere*: & *Recourir* ex *Recurrere*: itẽ *Encourir* ex *Incurrere*: & dicere

Encourir la haine, vel *Encourir l'inimitié*, quod Latini dicunt *Incurrere in odium.* Item *Encourir blaſme*, pro *Incurrere in crimen.* vtroq; autem horum loquendi generum ipſe etiã vtitur Cicero. Addi autem illis poteſt & *Parcourir*, ex *Percurrere*: vt *Parcourir un liure*, pro *Percurrere librum.* Quã in ſignificatione alioqui dicimus etiam, *Paſſer pardeſſus.*

Verbum quoque illud *Tenere*, cuius varios vſus noſtro *Tenir* conuenire, in ſuperioribus oſtendi, multa compoſita habet cum quibus magna eſt noſtrorum conuenientia. dicimus enim *Contenir*, ex *Cõtinere*: & *Detenir*, ex *Detinere*: item *Retenir*, ex *Retinere*: necnon *Souſtenir*, ex *Suſtinere*: & *Abſtenir*, ex *Abſtinere.*

Quædam etiam ſunt verba ſimplicia quæ in ſermone noſtro non vſurpamus, quum tamen iis quæ ex illis per compoſitionem ſunt facta, parua cum immutatione vtamur. Talia ſunt, *Receuoir*, *Conceuoir*, *Deceuoir*, *Perceuoir*, (ex quo poſtea factum *Apperceuoir*) pro his Latinis, *Recipere*, *Cõcipere*, *Decipere*, *Percipere.* (at pro *Excipere*, ſignificãte Numero eximere, dicimus *Excepter*, quaſi ex frequentatiuo *Exceptare*) Sic etiã quãuis pro ſimplici verbo *Ducere* raro vtamur noſtro *Duire*, quũ tamẽ ex cõpoſi-

tisLatinisGallica facimus,nõ alio vti ſolemus,cādē quæ in Latinis eſt præpoſitionē illi præfigētes.Vt enim *Inducere* dicũt,ita& nos *Induire*, pro *Perſuadere* : & *Reduire*,ex *Reducere*:& *Produire*,ex *Producere*: & *Deduire*,ex *Deducere*:veluti quum dicitur *Deducere de ſumma*.Item *Seducere* ex *Seduire*,in illa nimirum ſignificatione metaphorica qua pro *Decipere* ponitur, imitando prorſus metaphoram Græci verbi *ἀπατᾷν*. Sonat enim hoc quoq; propriè quaſi quis dicat Extra viam ducere. Compoſitum *Traduire* vix auſim his adiicere, licet ex *Traducere* factum: quòd pro *Traduire un liure* vix Latinum eſſe videatur *Traducere librũ*. At *Conduire* nihil commune habet cum *Conducere*,quum *Conduire*(in vna ſignificatione)nobis ſit quod illis eſt *Deducere* : & *Conducere* pro *Prodeſſe*, ſit *Duire*.Nam *Hoc mihi conducit*,nobis eſt *Ceci me duit*, Vnde *Duiſable* pro *Conducibile*. Idem verò quod in illis compoſitis actiuis,in his etiã neutris facimus, vt in illis non autem in verbo ſimplici Latinam vocem retineamus: in his inquam, *Aſſiſter*, *Cõſiſter*, *Deſiſter*, *Inſiſter*, *Perſiſter*, *Reſiſter*.ſunt enim ex Latinis, *Aſſiſtere*, *Conſiſtere*, *Deſiſtere*, *Inſiſtere*, *Perſiſtere*, *Reſiſtere*. Sed quis erit finis,ſi ea quæ in aliis plurimis verborum cõpoſitis ſup-

petunt huius conuenientiæ exempla, coaceruare velim? ipſe certè lector ad hæc intuẽs, alia ſibi quamplurima facilè colligere poterit: ideóque tales compoſitorum ſeries in aliis quoque verbis proponere non ſtatui.

AD VERBA igitur ea venio, quibus vocula RE aut DE, per compoſitionem, vt in Latino ſermone, ſic etiã in Gallico, præfixa eſt: vt oſtendam quanta nos hîc quoque in plurimis verbis commoditate priuemur, atque vt omnia tuta, quod ad Latinitatem attinet, timeamus. Atque vt de particula illa RE prius dicam, eam verbis præfixam, aliquando otioſam & ornatus tantùm cauſa poſitam videri ſciendum eſt: vt in *Religare* & *Reuincire*, necnon in *Reformidare*, item in *Recubare*: niſi fortè epitaſin quandam ea in certis quibuſdam verbis declarari dicamus: Interdum valere idem quod Retro, vt in *Repello*, *Recedo*, *Regredior*: Nonnunquam contrariam ſimplici ſignificationem efficere, vt in *Recingere*, *Refigere*, *Recludere* apud Maronem, *Repignerare*, apud Vlpianum, & *Replumbare* apud eundem: Quandoq; iterationem ſignificare (vt apud Græcos ἀνὰ in compoſitione) veluti in *Reſumo*, pro ἀναλαμβάνω: & *Reædifico*, pro ἀνακτίζω. Nonnunquam vi-

ciſſitudinẽ, eo modo quo *ἀντὶ* verbis præfixum: ſicut in *Redamo*, pro *ἀντιφιλῶ*: & *Remordeo* pro *ἀντιδάκνω*. Sic autem & in noſtro ſermone hæc ipſa vocula RE hoſce duos poſteriores vſus habet: ſed vix dici poteſt quanta ſit circa vſum huius particulæ RE (quam quidam grammatici præpoſitionẽ inſeparabilem appellant) multorum religio, vel potius ſuperſtitio, quæ os illis obthurat, quum tamen viam ſibi oſtenſam ſequi & veſtigiis claſsicorum etiam ſcriptorum inſiſtere volentes, facilè apud Latinos verba ſuis reſpondentia ſint inuenturi. Ad ea enim quod attinet quibus nos particulam RE præfigimus ad declarandã iterationem, multi eandem Latinis quæ alioqui ſignificatione Gallicis reſpõdent, præfigere nõ audent, quòd hæc ipſa cõpoſita non reperiant: quaſi verò talis compoſitionis analogia (vt ita dicam) eſſe exẽpli vice non poſsit. Inueniunt enim hunc particulæ illius vſum in verbis quibuſdam neutris, in actiuis etiam nonnullis, & paſſiuis. Ex neutris eſt *Reuenire*, quo Cicero poſt Plautũ vtitur, pro noſtro *Reuenir*: itẽ *Recurrere* apud illũ comicũ & alios ſcriptores, pro *Recourir*, vel *Racourir*: in *Redormire*, apud Pliniũ iuniorẽ, pro *Redormir*: itẽ in *Regerminare*, pro *Regermer*: in *Recreſcere*

& in *Refloreſcere*, pro noſtris *Recroiſtre* & *Reflorir*:& in *Redardeſcere*,apud Naſonem. Inueniũt & in actiuis:vt in *Redonare* apud Horatium,pro noſtro *Redonner*:in *Relauare* apud Lucretium,pro noſtro *Relauer*: in *Reædificare* apud Ciceronẽ, pro *Reedifier*: in *Recudere* apud Varronem, pro noſtro *Reforger*:in *Repolire* apud Columellam,pro noſtro *Repolir*: in *Recoquere* apud Martialem,pro noſtro *Recuire*:& in aliis apud alios,vt in *Reguſtare*,*Recalfacere*,*Reficere*. Inueniunt denique & in quibuſdam quæ vocem paſsiuam, ſignificationẽ autem neutram habẽt:vt in *Renaſci* (nam de illis quæ & voce & ſignificatione ſunt paſsiua, minimè dubitari poteſt quin,exempli gratia, ex illis actiuis *Redonare* & *Reædificare*, &c. facta fuerint paſsiua *Redonari*, *Reædificari*,&c.) vel actiuam, vt in *Redipiſci*. At quum hunc particulæ illius vſum in illis triplicis formæ verbis extare videant, in nullo ipſi eum imitari audent, ſed ſi *Repeindre* (vt primus illi à me detur locus quod in mentem primum venit) illis Latinè ſit interpretandum,hærent, & *Repingere*, quod nuſquam legerint, dicere vix ſibi fas eſſe putant. At ego & pro *Regrauer*,itidem *Reſculpere*, & *Repectere* pro

Repigner, & *Recarminare* pro *Recarder*, & *Refrigere* pro *Refrire* (vt *Recoquere* pro *Recuire* dictum fuiſſe video) nequaquam' dicere dubitarim. & quemadmodum pro *Coller* non verear dicere *Collare*, ita etiam *Recollare* pro *Recoller*. Denique non video cui verbo Gallico præfixa illa particula, Latino quod ei reſpōdeat, præfigi itidem non poſsit.

Nec verò dubito quin & hæc & quælibet alia eiuſdem generis apud eos qui interciderunt ſcriptores inueniri poſſent, pleraque in iis etiam qui extant, ſi omnia eorum ſcripta extarent. Sed eſto tamē omnia omnium ſcripta extare, & nuſquam illa reperiri, an ideo Latina non fuerint? Imò duo illis poſsint opponi, qui eo argumento contendere velint in Latinitatem recipi non debere. Vnum eſt, quòd multa vocabula ideo non vſurparint, quia loquuti ea de re non ſint ad quam illa pertinebāt. (vt videmus iuriſconſultos multis vti quibus alii fortaſſe nulli vtantur: atque adeò his *Reconducere* & *Relocare*, necnon *Redadoptare*, vt compoſita quæ huc pertinent, in exemplum afferam.) Alterū, quòd eam aliis exprimere, aut pro cōpoſito ſimplex cū aliqua adiectione vſurpare potuerint.

Contrà certè contenderim,illis quæ propoſui, & aliis multis quæ adiungi poſſent(ſic tamẽ vt non quibuſlibet eandem præpoſitionem æquè commodè præfigi poſſe fatear) aſperiora quædam extare apud autores qui manibus noſtris quotidie terũtur:atq; adeò eiuſmodi vt illis qui ea inde peti neſciẽt,magis quàm illa ſuſpecta eſſe poſsint. Nam vt de *Reuenire* taceam, cuius aures à compoſito *Redonare* non abhorreant(ſiue pro Iterum ſiue pro Viciſſim accipi in eo præpoſitio dicatur) ſi Horatium hoc vſum eſſe ignoret? Atqui verbo quod omnium frequentiſsimum in ſermone Latino eſt,& ad eandem ſignificationem pertinet,ita præfixam eſſe hanc particulam comperiemus,ſi propius inſpicere velimus.Quum enim *Reddo* dicimus, nónne verbo vtimur quod ex *Re* & *Do* factum eſt? Sed mutata declinatio fuit, ſicut & in *Addo*,atque aliis ex *Do* compoſitis:ſimúlque litera *d* interiecta fuit,quæ alteri à qua verbum *Do* incipit, conſociaretur.Hoc autẽ euphoniæ gratia in aliis quoque eandem particulam præfixam habentibus factum fuiſſe videmus. quorum eſt *Redeo* ex *Re* & *Eo*,pro *Reeo*.Sic *Redhibeo*: nã eſſe ex *Re* & *Habeo* conſtat. Sic in *Redamo*,in *Redarguo*, in *Redigo*,in *Redimo*,in *Re-*

doleo, in Redi*ntegro*, in Re*dulæro*, in Redor-*dior*, & in pleriſque aliis, quorum nonnulla non ita manifeſtam prima fronte habent iſtam literæ *d* interpoſitionem: vt Re*dundo*, licet vel ex reliquis compoſitis, A*bundo*, Ex*undo*, I*nundo*, animaduerti huius literæ inſertio poſsit. Idem verò contingit & in quibuſdam nominibus, vt in Re*duncus*. Manauit autẽ hæc literæ *d* interpoſitio ex antiquæ linguæ conſuetudine, quam in pleriſque Plauti locis videre eſt, & quidem magis etiam miram: quũ in nonnullis interiiciatur, in quibus cacophonia nulla futura eſſe videatur ſi illa abſit. Quinetiam inuenitur in quibuſdam locis hæc adiectio vbi lectorem impellere in errorem poſsit, quòd nimirum vox qua Plautus vtitur, ob præfixam hanc literam fiat eadem cum alia quæ planè diuerſam ſignificationem habet. Exemplum eſt in Caſina, V*nde hîc amabo unguenta dolent?* Nã hîc nullus eſt verbo *dolent* locus: ſed verbo *olent* præfixa eſt illa litera *d*. Mirum tamen ſi germana eſt hæc ſcriptura. Alioqui poſt *me* etiam & *te* adiici paſsim apud eundem comicum videmus. vt in Amphitruone, —*aſſimulabo med eſſe ebriũ*. Sic in Bacchid. I*mmò oro ut facias* C*hryſale, & ted obſecro*. Alicubi verò *mederga* vna voce apud eũ ſcri-

ptum eſt: vt in Captiuis, *Si ego item memorē quæ mederga multa feciſti bene*. At lector talis epentheſεως non admonitus ad vocem *mederga* obſtupeſcat. Sed *med erga* malim diſiunctim (ſicut *med eſſe* legitur in loco quem modò protuli: & alibi, — *aurum ut abs ted auferat*) atque adeò in quibuſdam eiuſdem comici locis, in iiſdem editionibus, ita diſiuncta hæc inueniuntur. vt in principio Aſinariæ, *Siquid med erga tu hodie falſum dixeris*. Quinetiā in hoc parum ſibi conſtant editiones Plautinæ, quòd in quibuſdam locis alioqui planè ſimilibus hāc literam *d* omittunt, vt in hoc ipſo principio, paucis ante hunc verſibus, *Ita te obteſtor* pro *Ita ted obteſtor*. Sic *anteeo* in Bacchid. alibi verò *antideo* ſcriptum eſt: ſed reponendum puto *antedeo*, vt ſimilis ſit epentheſis illi quæ & apud poſteros Plauti manſit in *Redeo*. Atque hæc in gratiam eorum qui comicum illum non triuerunt. Cæterùm *Reddo* eſſe ita factum per epentheſin literæ *d*, pro Iterum do (quanuis nō ſeruata hac coniugatione) ex eo etiam apparet quòd Homerus Iliad. α, δόμεναι πάλιν id eſt *Dare iterum*, eodem dicit modo pro ἀποδόμεναι, id eſt reddere. Atque hîc recordor & cuiuſdam verſûs Tibulliani, vbi dicit itidem *iterum uoca* pro *reuoca*:

Vre puer quæſo tua qui ferus otia liquit,

Atque iterum erronem ſub tua ſigna uoca.
Cæterùm aliud hîc eſt obſeruādum, quod magis etiam mirum videri nonnullis poſſit: nimirum quædam eſſe verba vbi quanuis præpoſitio RE præfixa alium vſum habeat, aut ornatus tantùm cauſa ponatur, tamen & hanc ſignificationem obtineat. Exempli gratia, ſiquis nō auſit dicere *Recubare* pro *Se recoucher* (quòd hoc compoſitum *Recubare* in pleriſque locis inueniatur quibus ſimplex *Cubare* adhiberi poſſe videtur, neque verò in Gallica lingua aliter quàm ſimplici *Coucher* reddi queat, quod alioqui reſpōdet illi ſimplici *Cubare*) is religioſior fuerit quàm qui in pleriſque vocibus religioſiſsimus eſt Mar. Tullius Cicero. Apud eum enim legimus libro priore De diuinatione, *Eum primò perterritum ſomnio, ſurrexiſſe: dein quum ſe collegiſſet, idque uiſum pro nihilo habendum eſſe duxiſſet, recubuiſſe.* Atque in hac etiam compoſitorum claſſe nobis idem quod in præcedente licere exiſtimo. Exemplo erit verbum *Renodo.* nam vt vides paſsim *Recubare* pro ſimplici *Cubare* poni, & tamen alicubi etiam inueniri vbi non itidem vacet vel ad ornatum ponatur illa inſeparabilis præpoſitio RE, ſed eandem vim habeat quam præfixa Gallico *Coucher*, quòd eſt

Cubare: cur non & verbo *Renodare* vtar pro *Renouer*, licet *Renodare* pro ſimplici *Nodare* vſurpari videam? Scilicet *Nodare*, pro *Nouer*, *Enodare* pro *Deſnouer* dicere mihi fas erit: at quum à me poſtulabitur Latinum verbum quod tertio compoſito *Renouer* reſpondeat, obmuteſcere potius debeam quàm dicere *Renodare*. Interim tamen nolim hanc libertatem ita in licentiam abire, vt temerè in quibuſlibet verbis idem nobis permittamus. Exépli gratia, quanuis verbi *Relier* eadem planè ſit natura quæ eſt verbi *Nouer*: atque vt dicitur *Nouer*, *Deſnouer*, *Renouer*, ita etiam dicatur *Lier*, *Deſlier*, *Relier*: non tamen vt *Renodare* pro *Renouer*, ſic *Religare* vel *Reuincire* (quæ paſsim ſignificationem ſimplicium *Ligare* & *Vincire* habent: niſi quòd præpoſitio RE vel ornatum addere, vel ſignificationem quodammodo intendere à quibuſdam exiſtimatur) pro *Relier* vſurpare auſim: hac potiſsimũ de cauſa, quòd vt alterum compoſitum *Deſnouer* ex eodẽ ſimplici *Nodare* formamus, dicentes *Enodare*: non itidem pro *Deſlier* poſsimus cõpoſito vti quod ex ſimplici *Ligare* vel *Vincire* formatum, ſignificationem illi Gallico reſpondẽtem habeat. Nam *Eligare* nuſquam legitur, quod ſciam: at *Euincire* le-

gitur quidem apud Tacitum, eiúſque participium *Euinctus* in aliquot Maronis & Naſonis legitur locis, verùm & ipſum in ſignificatione ſimplicis. Ac certè potius compoſitum *Reuincire* hanc ſignificationem Gallici *Deſlier* haberet, quàm illud *Euincire*. Talis enim præpoſitionis illius RE vſus in aliis pleriſque verbis cernitur, quorum aliqua mox proferam. Prius autẽ conſiderandum nobis eſt quod dixi, in aliis quoque verbis, in quibus hæc præpoſitio RE non ita ſuperuacanea eſt vt in præcedentibus, ſed contrà ſignificationẽ ſimplici contrariam efficit: ac videndum eſt an etiam in illis aliquid tale nobis permittere poſsimus. Cautionẽ profectò hîc quoque adhibẽdam eſſe, & in quibuſdam tantùm hac libertate eſſe vtendum dico. Exempli gratia, *Recingere* quanuis contrariam verbo *Cingere* ſignificationem habeat, & pro *Diſcingere* ponatur: tamẽ & pro *Recœindre*, id eſt *Iterũ cingere*, vſurpare non dubitarim: atque ita tria Latina tribus Gallicis reſpondebunt: *Cingere*, ſimplici *Ceindre*: compoſitum *Diſcingere*, cõpoſito *Deſcœindre*: & *Recingere*, alteri cõpoſito *Recœindre*. Sic etiam verbo *Refigere*, pro *Iterum figere*, non verear vti, quanuis in hoc quoq;

præpoſitio contrariam ſimplici ſignificationem efficiat, aliquando verò (vt in nõnullis de quibus paulo antè dictum fuit) ſimplicis ſignificationem relinquat, niſi quòd aliquantum eam augere videtur. Idémque & de *Refibulare* dixerim, in quo Martialis vſum hunc particulæ RE tribuit. Etenim ne ipſe quidem pro *Fibulare rurſũ*, dubitaſſet vſurpare, vt opinor. *Refodere* quoque pro *Iterum fodere*, ex iis eſt quæ vſurpare religio mihi non fuerit: licet in hoc quoque verbo præpoſitio alterum illum vſum habere ſoleat. At verò ſiquis vt *Claudere* dicit pro *Clorre*, *Fermer*: ita etiam *Recludere* dicere velit pro *Reclorre*, *Refermer*, næ ille in Latinitatem, me iudice, peccauerit. Magis enim inſolens minúſque tolerabilis in hoc verbo, quod paſsim occurrit, videtur eſſe hic præpoſitionis RE vſus, quàm in illis de quibus modò dictũ fuit. Adde quòd non vnus tantùm vſus hãc præpoſitionem apud Latinos occupauit, is videlicet qui ſignificationem ei dat ſimplici contrariam, vt in præcedentibus: ſed duo illã ſibi vẽdicarunt. Neq; enim (vt obiter lectores hac de re moneam) *Recludere* eſt duntaxat Aperire, vel Depromere quod clauſum erat, vt apud Maronẽ, *Tellure recludere theſauros*: ſed pro ſimplici *Claudere*

etiam ponitur:vnde & participium *Recluſus* apud Iuſtinum pro *Clauſus* inuenitur. quam tamen ſignificationem plurimi ignorant.

Aliqua etiam ſunt verba Gallica ab hac eadem præpoſitione incipientia, quæ quũ duos vſus valde diuerſos habeant,eoſdem & in Latino ſermone habent. Horum è numero eſt *Reprendere* ſeu *Reprehendere*. Non magis enim diuerſa Gallis ſonat *Reprẽdre* quàm Latinis *Reprẽdere*,vnde factũ eſt illud cũ minima immutatione: vt ſimplex *Prẽdre* ex *Prendere*.Sed hoc *Prendere*, ſicut & cõpoſitũ *Reprẽdere*, apud priſcos potiſsimum reperitur, ſúntque vſitatiòra *Prehẽdere* & *Reprehẽdere*. Verùm ea quidẽ ſignificatio quæ paſsim occurrit, nullis exemplis confirmari neceſſe habet, nimirum illud *Reprehendere*, cui Cicero alicubi adiungit *Exagitare*, alicubi *Subaccuſare*: at pro eo *Reprendre*,quod dicitur de èo quem nobis elapſum & fugientem prehendimus iterum,extat apud Plautũ,necnon apud Liuium, atq; adeò apud ipſum quoque Ciceronem. Atque hîc quæri meritò poſsit an & in verbo *Refugere* (huius enim recordatus ſum, vbi dixi *Reprehẽdere* dici quum eum qui in fugam ſe dederit,prehendimus iterum) idem permittere

nobis poſsimus: vt videlicet, ſicut *fugere* eſt *fuir:* ita pro R*efuir*, id eſt *Iterum fugere*, dicamus R*efugere*. Ego certè timidè eam ſignificationem vſurpauerim: nec alibi quàm vbi nullum periculum ſit ne aliam ſignificationem, vel potius ex aliis quæ frequentes occurrunt ſignificationibus vnã habere videatur. Veluti ſi ita de ſeruo quopiam loquar, *Reprehenſus quidem fuerat, ſed paulo poſt refugit*. Vel ſi dicam, *Ille fugit ac refugit*. Alioqui certè dicere malim, *Iterum fugit*.

DE PARTICVLAE huius altero vſu (cuius mentionem antea feci) diſſerendum nunc eſt. Neque enim ibi duntaxat vbi noſtra particula R E. verbo præfixa ſonat *Iterum* (vt quum Græci præfigunt ſuam voculam ἀνὰ) poſſumus eam Latino itidẽ verbo iungẽtes, eo ad exprimendum noſtrum vti, idque cum bona Latinitatis venia, in multis quidem certè locis: ſed etiam vbi ea vtimur pro *Viciſſim* (vbi à Græcis præfigi ſimplici verbo ſolet præpoſitio ἀντὶ) idem ius nobis conceditur: ſiue ipſa ſimplicia verba non ſignificatione ſolùm ſed voce quoque noſtris reſpõdeant, ſiue ſignificatione duntaxat cum illis cõueniant. In priorũ autẽ exemplis primum locum dabo quibuſdã verbis in quibus

præpo-

præpoſitionẽ illã modò hunc, modò illum vſum habuiſſe puto. Tale igitur eſt cõpoſitũ *Reſcribere*. nã hoc ſicut pro *Viciſſim ſcribere*, ita & pro *Iterũ ſcribere* dictum fuiſſe credibile eſt. Tale etiam eſſe dico verbum compoſitum *Retaxare*. nam poni quidem à Suetonio pro *Viciſſim taxare*, id eſt carpere, ſeu reprehendere, ſatis conſtat: ſed poni etiam poſſe pro *Iterum taxare*, contendo: & quidem multo etiam magis vbi *Taxare* pro AEſtimare accipitur. Nam in Gallico etiam ſermone *Taxer* vtrunque vſum habet: verùm pro AEſtimare dicitur & *Tauxer*, ſicut *La taxe* vel *Le taux*, pro æſtimatione ſeu indicatura. Quinetiam *Remordere* in hoc numero ponendum eſſe dico. quãquam eius vſus quo ponitur pro *Iterum mordere*, exemplum in promptu nullum eſt: ad alterum autem quod attinet, quemadmodũ antea dixi eũ qui vereatur dicere *Recubare* pro *Iterum cubare*, quòd videat illud verbum pro ſimplici *Cubare* frequẽter occurrere, Cicerone religioſiorem fore: ſic etiam eum qui *Remordere* pro *Viciſſim mordere* ſeu *Mordentem mordere*, dicere dubitet, quòd *Remordere* pro ſimplici *Mordere* poni obſeruarit, magis religioſum fore dico quàm ipſe Horatius fuerit. Apud eum enim legimus in Epodon libro,

Quin huc inanes, ſi potes, uertis minas,
Et me remorſurum petis?

Poſthac igitur nemo dubitet *Remordere* dicere pro noſtro *Remordre*, id eſt Viciſsim mordere. Et quum ad Herodoti Melpomenen veniet, atque in ea leget pagina 175, meæ editionis, in quodam Libyæ populo mulieres lepidiſsimum illum ac venuſtiſsimum habere morem, quòd ſoleant ἀντιδάκνειν quos in capite ſuo ceperint pediculos, antequam eos proiiciant: ne iam dubitet ἀντιδάκνειν interpretari *Remordere*, id eſt, *viciſſim mordere*, Gallicè *Remordre*. Alioqui certè fateor verbi *Remordere* obuiam ſignificationem eſſe pro *Mordere*. Nam vt Maro dixit, *quãdo hæc te cura remordet*, ſic Naſo, *Mordeat iſta tuas aliquãdo cura medullas*. Nihilominus enim vterq; in illo Herodoti loco nõ magis ἀντιδάκνειν veritus fuiſſet interpretari *Remordere*, quàm timuit Cicero verbo *Recubare* vti pro *Iterum cubare*. Ideóq; miror quid Vallæ ibi in mentem venerit vt ἀντιδάκνειν verteret *præmordere*. Neque enim dubium eſſe debet quin Herodotus dicat, mulieres illas pœna talionis plectere volentes ſuos pediculos, ſicut illi ipſas momorderunt, ita illos viciſsim mordere. Neque verò hîc tantùm tali libertate vti poſſumus, ſed ali

bi quoque, mea quidem ſententia. Exempli gratia, quum φιλεῖν non ſolùm Amare ſignificet, ſed interdúm etiam Oſculari: ſicut vbi pro *Amare* ponitur, licebit τὸν φιλοῦντα ἀντιφιλεῖν, reddere *Amantem redamare*; quídni itidem vbi pro Oſculari vſurpabitur, τὸν φιλοῦντα ἀντιφιλεῖν reddemus *Oſculantem redoſculari*? Quídni itidem τὸν ἀσπαζόμενον ἀντασπάζεσθαι interpretari poterimus, *Amplectentem redamplecti*? Aut quid vetet quin pro τὸν τιμῶντα ἀντιτιμᾶν, *Honorantem redhonorare* dicamus? Et pro τὸν παρακαλοῦντα ἀντιπαρακαλεῖν, *Hortantem redhortari*, poſſe dici exiſtimemus? Sic etiam τὸν ἐγκαλοῦντα ἀντεγκαλεῖν, *Criminantem recriminari*, reddamus? Deniq; τὸν τύπτοντα ἀντιτύπτειν, *Verberantem reuerberare*, non minus quàm *Ferientem referire*, aptè nos interpretaturos arbitremur? Sic autem & *Redonare* quamuis pro *Iterùm donare* dixerit Horatius, Græcum ἀντιδωρεῖσθαι eo interpretari non dubitauerim, vt etiam pro *Viciſſim donare* accipiatur. Sicubi tamen videmus analogiã iſtam locum non habere, id eſt, non eandem ſubeſſe gratiam cuipiam alii verbo, cui eandem præpoſitionem eodem modo præfixerimus, tum verò periphraſi vtendum nobis fuerit. Sic quamuis ποθεῖν ſit *Deſiderare*, tamen τὸν ποθοῦντα ἀντιποθεῖν,

(vt Xenophon loquitur) nolim interpretari Deſiderãtem redeſiderare, ſed potius ad illud aduerbium Viciſsim confugerim: & dixerim Deſiderantem viciſsim deſiderare, vel Deſiderantem mutuo deſiderio proſequi. Multo etiam magis cautione vtendum eſt in iis verbis præpoſitionem iſtam præfixam habentibus quæ iam aliã ſignificationem obtinent. vt ſi ἀνθυπισχνεῖσθαι mihi vertẽdum ſit, potius *Viciſſim promittere* dicam quàm *Repromittere*, quòd huic verbo alius iamolim vſus datus fuerit. Neque tamen vbique vitanda huiuſmodi verba fuerint, ſicut ex verbo *Remordere* docui, quod ſignificationi mordendi viciſsim ab Horatio aptari videmus, quum alius tamen eſſet illius vſus. Sic igitur *Recalcitrare* non verear dicere pro ἀντιλακτίζειν, id eſt *viciſſim calcitrare*: quanuis *Recalcitrare* vſurpatum eſſe comperiam pro *Calcitrãdo repugnare* (vulgò autem dicitur *recalcitrer* qui refragatur, præſertim vbi oblata conditio non accipitur) aut certè Velut calcitrando repugnare, vt eſt vſus Horatius. Sic ἀντιβοᾶν non dubitem reddere *Reclamare*, pro *viciſſim clamare*, ſeu *Mutuo clamore reſpondere*: licet paſsim obuia huius verbi ſignificatio ſit, *Clamore repugnare* ſeu *Refragari*, vel *clamando*. Cur verò du-

bitem, quũ exemplũ apud Statiũ extet? Hac enim in ſignificatione agrũ *canenti domino reclamare* dicit. In his tamen & aliis eiuſmodi danda erit opera vt ſignificatio manifeſta auditori ſeu lectori eſſe poſsit. Verùm vt alia huius libertatis exempla proferam in iis verbis vbi ſicut Græci ſua præpoſitione *ἀντὶ* vtuntur, ſic Galli ſua illa RE: quídnam vetet quominus ſicut pro *ἀντιδάκνειν* *viciſſim mordere*, Gallicè R*emordre*, nobis R*emordere* licet dicere: ita pro *ἀντινύττειν*, *viciſſim pungere*, R*epoindre*, dicamus R*epungere*? Item ſi, vt dicimus Gallicè R*emaudire*, ita R*emalediœre* apud Suetonium legitur (quanuis vt M*alediœre* eſt potius M*eſdire*, quàm M*audire*, quod ad imprecationem vſque extenditur: ſic R*emalediœre* potius ſonet R*emeſdire* quàm R*emaudire*) cur non vbi vertendũ erit verbum *ἀντιλοιδορεῖν*, tã verbo R*ecõuitiari* quàm verbo R*emalediœre* vti mihi concedetur? Equidem aut valde falluntur aures meæ, aut illud hoc ſi non mollius, certè durius non eſt. Nec verò minus R*ecriminari* pro *ἀντικατηγορεῖν* (vel *ἀντεγκαλεῖν*, vt antea interpretatus ſum) quàm R*econuitiari* pro *ἀντιλοιδορεῖν*, placere debet. Sic etiam pro *ἀντισκώπτειν*, R*ecauillari*, pro *ἀντιδιαβάλλειν*, R*ecalumniari*, audacter protulerim. Verùm quũ di-

xerim poſſe nos Latinis verbis præfigere particulam RE, eodem modo quo præfigi in Gallica lingua videmus, non ſolùm pro Iterum, ſed etiam pro Viciſsim: atque addiderim, ſiue ipſa ſimplicia verba non ſignificatione ſolùm ſed voce quoque noſtris reſpondeant, ſiue ſignificatione tantummodo conueniant: illorum quidem priorum exempla protuli, nunc autem poſteriorum proferam. Idem igitur vſuuenire dico in quibuſdam verbis Latinis, quæ ſignificatione duntaxat cum noſtris conueniunt, non itidem voce. Atq; in horum numero pono *Remittere*. ſicut enim *Mittere* eſt *Enuoyer*, ita pro *Renuoyer* (quãdo ſignificat *viciſſim mittere*) poſſe dici *Remittere*, ſiquis negauerit, eum cùm aliis luculentis teſtibus, tum verò Plauto & Naſone conuincam: quorum ille dicit, *Munera accipit frequens, remittit nunquam*: ille, *Nec leuiora dati Troiani dona remittunt*. Eodémque modo ſiquis pro *Rebatre*, vel *Refraper*, id eſt *viciſſim ferire*, ſeu *percutere*; neget Latinum eſſe *Referire*, cum ego nõ ſolùm Plauti ſed & alterius comici Terentii teſtimonio refellam. Quin autem poſſimus in iſtis quoque verbis, quæ ſignificatione duntaxat cum Latinis conueniunt, eadem illa libertate vti, minimè dubium mihi eſt. Sic igi-

tur pro *Rebaiſer*, id eſt *viciſſim oſculari*, dicere non verear *Redoſculari*, quo & antea interpretatus ſum Græcum ἀντιφιλεῖν. Sic pro *Rechatouiller*, id eſt *viciſſim titillare*, dixerim *Retitillare*: quum *Titillare* ſit *Chatouiller*: eodémque modo *Repungere* pro *Repiquer* vel *Repincer*, id eſt *viciſſim pũgere*. Sed quod ad illud noſtrum *Rebaiſer* attinet, potius inter præcedentia quæ ex Latinis facta ſunt, ponendum fuerit: quũ noſtrum *Baiſer* ſit ex *Baſiare*, & ita *Rebaiſer* ſonet *Rebaſiare*: licet *Redoſculari* maluerim. Meminiſſe autem & in his verbis oportet, particulam RE alterum quoque illũ vſum habere (ſi opus ſit) poſſe, quo ponitur pro Iterum.

AD PARTICVLAM alteram DE (de qua me dicturum promiſi) veniendum nunc eſt, quæ apud grammaticos inter præpoſitiones locum habet. Siquidem in multis compoſitis noſtra itidem præpoſitio DE vel DES cum Latina DE (ſicut cum Græca ἀπὸ vel ἐκ) conuenire comperitur: in aliis auxilium præpoſitionis EX vel E, interdum & præpoſitionis inſeparabilis DIS, implorare. Atque vt ſtatim ad exempla veniam, quod Latini *Collum*, nos *Col*, Græci αὐχένα vocant. vt Græci inde fecerunt ἀπαυχενίζειν, ſic nos ex *Col* fecimus

Decoller, vel *Deſcoller*: at quotuſquiſque credet *Decollare* itidem cum bona Latinitatis venia dici poſſe? Eſt tamen Latinum non minus vocabulum quàm *Decoller* eſt Gallicum: niſi è Latinorum ſcriptorum numero Suetonium & Feneſtellam eximamus. De vero autem Feneſtella, non de illo ſuppoſititio, loquor. Sic habemus *Decapiter* quod Græco ἀποκεφαλίζειν omnino reſpondet: nec dubito quin *Decapitare*, eadem ratione qua *Decollare*, aliquis ex Latinis ſcriptoribus dixerit. Nos *Demembrer* dicimus, Græci ἀπομελίζειν itidẽ dicere potuerunt (licet alterum compoſitum διαμελίζειν hac in ſignificatione apud eos inueniamus) & Plautus eundem planè vſum eidem præpoſitioni DE tribuens, *Deartuare* dixit. *Ioindre* eſt *Iungere*, Græcè ζεύγνυμαι: atq; vt pro *Deioindre* ſiue *Desioindre* habet ſermo Græcus ἀποζεύγνυμαι, ſic & Latinus *Deiungere*, non minus quàm *Diſiungere*, licet hoc omnibus, illud paucis ſit cognitũ. Itidem pro *Deſpouiller* tam Latinum eſt (& Latinius fortaſſe) *Deſpoliare* quàm *Diſpoliare*. Sic pro *Detendre* ſiue *Deſtendre*, quod eſt contrarium ſimplici *Tendre*, *Tendere*, quãuis *Retendere* inueniatur: non minus Latinum eſt tamen compoſitum quod alterã illam præpoſitionem habet, *Detendere*, ſi

modò non minus Latinè loquuti ſunt Cæſar & Liuius, quàm Ouidius. Sed hic *Arcũ retendere*, illi *Tabernacula detendere* dixerũt: quũ vtriq; loco æquè conueniat noſtrum *Detendre*. Quinetiã verba nõnulla ſunt quibus licet præpoſitio EX in compoſitione præfigatur, non minus tamen & hæc ipſa DE (quæ nobis cum illis communis eſt) præfigitur, manente eadem ſignificatione: vt *Deonerare* ſicut & *Exonerare*, pro noſtro *Deſcharger*: item *Dearmare*, ſicut & *Exarmare*, pro eo quod dicimus *Deſarmer*: necnon *Dehaurire*, ſicut & *Exhaurire*, pro noſtro *Eſpuiſer*. Quædam etiam eſſe fateor in quibus ſolam præpoſitionem DIS noſtræ DE vel DES reſpondentem habemus. vt *Deſplaire*, *Diſplicere*: *Deſceindre*, *Diſcingere*. niſi malimus vti altero compoſito *Recingere*. *Dechauſſer* pro *Calceos detrahere*, *Diſcalceare*: & *Diſcalceatus*, *Dechauſſé*. In quibuſdam verò vtraq; lingua habet DIS. vt *Diſcorder*, *Diſcordare*: *Diſſoudre*, *Diſſoluere*. Alicubi verò pro DIS eſt DI in Latino cõpoſito, vt in *Dirumpere* & in *Diminuere*: nos hîc quidem præfigimus itidem DI, dicentes *Diminuer*: illic verò DE, dicentes *Derõpre*. Sed pro *Dirumpere* ſcribitur etiam *Diſrumpere*, & Gallicè itidem *Deſrompre*, non minus quàm *Derompre*. Pro *Diminuere* autẽ

quidam ſcribere malunt *Deminuere*.

Sed vt ad compoſita reuertar quæ habent in vtraque lingua præpoſitionem illam DE, ſic quod nos *Dehorter*, Latini dicunt *Dehortari*: ſicut contrarium *Exhorter* reſpōdet Latino *Exhortari*. Aliquando autē Gallica vocabula illi præpoſitioni adiunctam aliam habent: veluti quum dicitur *Deſengluer*, vbi tamen Latina vox ſuam illam dūtaxat habet. Nam pro *Deſengluer* (quod rectius eſt quàm *Deſgluer*) dicitur *Deglutinare*: quia *Glutinare* eſt *Engluer*. quod & *Viſcare* ſeu *Inuiſcare*. Alicubi poſterior præpoſitio vix ſentitur, vt in *Deſeplir*: quod eodem modo redditur verbo cui præpoſitio illa præfixa eſt: id enim Latini vocant *Deplere*. Ideo autem vix ſentitur in illo *Deſemplir* ſecunda præpoſitio, quod quum dicimus *Emplir*, videamur non compoſito verbo vti, ſed ſimplici: quia nimirum & in ipſo Latino *Implere* (vnde noſtrum ſumptum eſt) vix præpoſitio ſentiri poteſt. Ex quibus enim *Implere* compoſitum eſſe dicetur? idémque de *Replere*, *Explere*, *Complere*, & *Supplere*, atque illo quod modò protuli, *Deplere*, quæri poteſt. Sed conſtat horum vnumquodque compoſitum eſſe ex ſua præpoſitione & verbo *Pleo*, quod in vſu aliquando fuerit, factum ex nomine

Græco πλέος ſiue πλέως. Sic *Confuto* & *Refuto* ex ſua præpoſitione & verbo *Futo* ſunt cōpoſita, quod aliquando vſitatū fuit. Idém que & in aliis compoſitis videre eſt.

Cæterùm quum actiuorum duntaxat verborum exempla propoſuerim, libet nunc & neutrorum quædam addere. Vt igitur Gallicè dicitur *Croiſtre*, eique opponitur *Decroiſtre*: ſic Latini dicunt *Creſcere*, eiq; opponūt *Decreſcere*. Sic *Fleurir*, *Floreſcere*: *Defleurir*, *Defloreſcere*, pro Græcis ἀνθεῖν & ἀπανθεῖν. (ſic autem actiuum *Deflorare*, pro actiuo noſtro *Defleurer*.) Seruatúrque eadem ratio in verbis quoque illis, quæ ſignificatione dūtaxat, nō item voce Latinis reſpondent. vt *Apprendre*, *Diſcere*, μανθάνειν: *Deſapprendre*, *Dediſcere*, ἀπομανθάνειν. Quibuſdam verò Gallicis pronomen *ſe* præponitur. vt *Se deſfaſcher*, vel *Se deſennuyer*, *Dedolere*: & *Se deſēfler*, *Detumere*, *Deturgere*. Sic pro illo *Defleurir* neutraliter, dicitur etiā *Se defleurir*, vel potius *Se defleurer*.

Cæterùm quúm hîc loquor de verbis quæ ſignificatione non item voce Latinis reſpondent, meminiſſe oportet eorum quæ & antea de quibuſdam dixi: nimirum etſi vocè non conueniant cum iis quibus reddi Latinè debent, ſed tantùm ſignificatione, è Latino tamen ſermone oriunda

eſſe.Siquidem *Apprendre* ex quo eſt *Deſap prendre*,natum eſſe ex *Apprendere* pro *Apprehendere*(ſicut *Comprendre* ortum eſt ex *Comprendere* pro *Comprehendere*,manifeſtū eſt. (Vbi & hoc animaduertendum eſt, quum *Apprendre* ſit *Diſcere*, verbo *Aprehender*, quod ex *Apprehendere* factum eſt,ſyncopen non paſſo, longè aliam eſſe ſignificationem.) Sic verbi *Deſenfler* (quū dicitur *Se deſenfler*) planè alius eſt ſonus, quàm illorum Latinorum,*Detumere*, *Deturgere*:ſed tamen è Latino & ipſum ſermone petitum eſt:ac certè perinde eſt acſi audiremus Se deinflare. Addam verò quod multo etiam pauciores conſideraſſe credibile eſt: noſtrum ſermonem cùm alibi, tum verò in hoc compoſitorum genere habere verba è Latinis facta quæ alioqui planè ſint inaudita. Tale eſt *Deſieuner* oppoſitum ſimplici *Ieuner*, *Ieiunare*. Hîc enim omnino agnoſcemus (ſi attentius conſideremus) Latinum verbū (fictitium ſaltem, nequid amplius dicam) Deieiunare. Nam *Deſieuner*, eſt Deſinere ieiunū eſſe. Sic quū dicimus *Deſcharmer*, perinde eſt acſi audiremus Decarminare. Nam & ipſum ſimplex *Charmer*, perinde eſt acſi diceretur Carminare: quum *Charme* pro *Carme* (nam ab illo vſq; repetenda eſt huius verbi de-

claratio) ſit à *Carmen*, in ea ſignificatione qua pro incãtatione ponitur. Vnde *Charmer*, idem quod *Incantare*, *Enchãter*: *Deſcharmer*, idẽ quod *Excantare*, *Deſenchanter*.

Sed iam afferenda ſunt aliquot exẽpla eorũ quoq; verborũ vbi pro noſtra præpoſitione DE, Latina habent vel EX vel E. éſtque ab illo ipſo verbo cuius modò mẽtionem feci, nimirum *Deſenchanter*, ſumẽdum initium. Quod igitur valet DES in *Deſenchanter*, id valet EX in *Excantare*. Sic *Deſarmer* nobis eſt quod Latinis *Exarmare*. ſic tamẽ vt etiã *Dearmare* dicatur, vt antea docui. Quod autem valet DE in *Derider*, id valet E in *Erugare*. nã *Ruga* eſt nobis *Ride*. Sic *Emaculare* eſt *Debarbouiller*. & *Euaginare* eſt *Degainer*, ſiue *Deſgainer*. & *Edormiſcere*, *Se deſendormir*. Nonnunquã Latinũ verbum habet EX, Gallicum E. vt in *Exẽterare*, *Euentrer*. (Quùm autem dicis *Euiſcerare* pro hoc ipſo *Euentrer*, tunc vtrobique habes E, non EX.) Interdum Latinumquidem verbum habet E, Gallicum autẽ DE. vt *Eradicare*, *Deſraciner*. Vel contrà, Latinum quidem, DE, Gallicum autẽ, E. vt *Deſpumare*, *Eſcumer*: *Deſquamare*, *Eſquailler*. nam *Spuma* dicitur à nobis *Eſcume*: *Squama*, *Eſquaille*. Quibus exemplis contentus in præſentia ero: ſed lectorem monebo ne

vbique particulas DE vel EX talem vſum habere credat. Alicubi enim contrà hæ particulæ ſignificationem intendunt, aut certè ornatum afferunt: vt videre eſt in *Deamo*, in *Defatigo*, in *Degrauo*, in *Defraudo*: item in impersonali *Degrandinat*. In quibuſdam autem verbis modò priuandi, modò intēdendi vim habet. E quibus eſt *Deſæuire*. nam pro *valde ſæuire* vſus eſt Horatius: in hoc autem Virgilii loco, *Dum pelago deſæuit hyems*, vtraque ſignificatio poſſe locum habere exiſtimatur.

NVNC autem videndum eſt annon hîc quoque, id eſt, in huius claſsis compoſitis, aliquid nobis cum bona Latinitatis venia, ſequendo analogiam, permittere poſsimus. Poſſumus, ni fallor, non minus quàm alibi. Neque hoc fuerit addere quicquam Latinitati, ſed ad exemplar eorum quæ habemus compoſitorum alia fingere, quæ temporum iniuria nobis ademit, ea quàm fecimus infinitorum librorum iactura. Incipiam à verbo quo vſus eſt Valla, in vertendo Herodoti quodam loco qui ei cuius mentionem feci, vicinus eſt. Id verbum eſt *Deuirginare*, quod Vallam fingere potuiſſe, ac fortaſſe etiam (quanuis apud Paulum iuriſconſultum reperiatur) nullo nitentem exemplo protuliſſe dico. Huic ſubiungam *Exebriare*, pro eo

quod dicimus *Deſenyurer*. Nam vt *Inebriare* eſt *Enyurer*, non video quid obſtet quominus pro *Deſenyurer* dicatur *Exebriare*. Sic Horatius non minus putauit poſſe dici *Exſomnis* quod reſpõderet Græco ἔξυπνος, quàm dicitur *Inſomnis*, reſpondens alteri compoſitó ἄυπνος. Verùm ad aliud exemplum veniens, dico, ſi verbo *Adhamare* poſſumus vti pro *Accrocher*, fortaſsis & *Exhamare* dicere licebit pro *Deſaccrocher*. Neq; verò mirum fuerit, hoc *Exhamare* valde peregrinum auribus multorum eſſe, quum & alterum illud *Adhamare* pleriſque peregrinum futurum ſit: quo tamẽ vſus olim fuit & ipſe Cicero. Verùm idem huic verbo contigit apud Ciceronem, quod illi nomini *Exſomnis* apud Horatium, vt videlicet ignota plurimis vox in aliã quæ omnibus nota eſſet, verteretur. Sed ad rem vt redeã, ſiquis *Excerebratus* dixerit pro *Eſceruelé* (quod quidam reddunt nomine *Cerebroſus*, quũ alij magis conuenire id putent ei quem Plautus *durum capitonem*, & noſtra lingua eodem modo *Teſtu* vel *Teſtard* vocat: vt alteram illius ſignificationem omittam) non videtur ei defutura analogia qua ſe tueatur. Eadem verò & in aliis compoſitis ratio fuerit. nã ſi *Deglutinare* Latinum eſt pro *Deſengluer*, cur non *Inglutinare*

Latinè dici poterit? niſi ſimplici *Glutinare* idem exprimi poſſe exiſtimemus. Sic etiam quid vetet quominus verbo *Viſcare* ad eãdem ſignificationẽ pertinenti, duo cõpoſita, *Inuiſcare* & *Deuiſcare*, addamus? Age verò, ſi *Diſcalceatus* rectè dicitur de eo cui detracti ſunt calcei, ſeu qui calceos exuit, cur non & *Diſcaligatus* dicetur de eo qui caligas exuerit? Alioqui certè quum noſtrũ *Dechauſſé* vtramque ſignificationem habeat, nos alteram tantùm exprimere poterimus.

CAPITIS SECVNDI PARS QVARTA.

NVNC VERO ad aliud compoſitorum genus venio, eorum inquam quibus non præpoſitio (vt præcedentibus) ſed nomen aliquod, ac præſertim adiectiuum, præfigitur, & ipſum ſimplex non ſine aliqua immutatione retinetur. Talia autem ſunt quæ ex verbo *Facere* fuerunt compoſita: vt *Magnificare*, *Lætificare*, *Pacificare*, & quædam alia. vix enim dici poteſt quàm huiuſmodi verba præ quibuſuis aliis ſint ſuſpecta. De tribus illis igitur, aliiſq; nonnullis, ſigillatim dicendum eſt.

Magnificare, (pro quo nos *Magnifier*) plurimi ex iis eſſe verbis putant quæ eccleſiaſtica

ſtica vocãtur,id eſt,Eccleſiaſticis ſcriptoribus potius quàm aliis aut etiam non aliis quàm illis,vſitata. Præiudicium autẽ multis verbis affert veteris Bibliorum interpretis vſus: vt certè hoc illũ vſum eſſe, & quidem κατακόρως etiam,pauci ſunt qui recordari non poſsint. Sed illi nihilo minus Plautinum quàm eccleſiaſticum verbum,& nihilo magis Plauti quàm aliorũ veterum ſcriptorum eſſe diſcant,qui compoſitis huius formæ,& (vt ita dicam) familiæ,gaudebant. Imò verò cur non & Terentium vſum eo eſſe addo? ne cui,audita vetuſtatis mentione,minus ſit gratum? Ita igitur & hic comicus in Hecyra, *Quem ego intellexi illam haud minus quàm ſeipſum magnificare*. Sed vide quò res redierit: quidam ſuperiori etiam ætate dum ſuſpectũ haberent hoc verbum *magnificare*, mutarunt in *magnifacere*:ita vt in nonnullis editionibus hæc lectio reperiatur. Sed diſiunctè potius ſcribendum eſſet:tunc autẽ non ſatis cõmodè cohærebit illud *minus* cum hoc *magni*. Reperitur & apud Plinium illud verbũ: ſed ita vt videri poſsit, de M. Varrone loquens, verbo eo vſus eſſe quo ille lubenter vtebatur. Scribit enim lib.17. cap.9, *Mar. Varro principatum dat turdorum fimo ex auiariis, quod etiã pabulo boum ſuúmq;*

magnificat: neque alio cibo celerius pingueſcere aſſeuerat. Vides lector vt verba illa, *Magnificat anima mea Dominum*, quæ plurimi, quod ad Latinitatem attinet, irriſiſſent, non minus Latina quàm Chriſtiana ſint.

De *Lætificare* idem eſſe iudiciũ plurimorum comperietur, quod de illo *Magnificare*: præſertim verò quòd vetus Bibliorum interpres hoc compoſito vtatur (cùm alibi, tum vbi vinum dicit *lætificare cor hominis*) in ſuſpicionem apud multos venit, quaſi verò ille ex claſsicis etiã ſcriptoribus aliquod rarius verbum depromere nõ pòtuerit. At nunc quod in illo damnarint, in Cicerone laudabunt, quum hæc ſcribat, De natura Deorum, lib. 2, de ſole loquens, *Iſque oriens & occidens diem noctémque conficit: & modò accedens, tum autem recedens binas in ſingulis annis reuerſiones ab extremo contrarias facit: quarum interuallo tum quaſi triſtitia quadã contrahit terram, tum uiciſſim lætificat, ut cum cœlo hilarata uideatur.* Sciendum eſt porrò veteres Latinos adiectiuis in — FICVS valde fuiſſe delectatos, ex quibus facta ſunt huiuſmodi verba: ſicut hoc ipſum *Lætifico* ex *Lætificus*. Vocat autem *lætificas uites* apud Ciceronem quidam vetus poeta. Quòd ſi ſequamur eos qui à Virgilio *lætas ſegetes* ab effectu appellari tradũt,

lætas eſſe illi dicendum fuerit, quas antiquus ille poeta *lætificas* nominaſſet. Sed ego non video cur in actiua potius quàm in ſua ſignificatione (id eſt paſsiua) nomẽ illud intelligi debeat: quemadmodum in illo Ciceronis loco videmus ſolem dici *lætificare terram*. Valde autem apto nomine, & quidem omnino proprio, vſus eſt Virgilius quum *lætas* dixit: quoniam *lætamen* hinc dictum eſſe videmus, quòd res hæc ſit vna ex iis quæ ſegetes facere lætas poſſũt: adeo quidẽ vt Plinius illo ipſo verbo *lætificare* hac in re vſus ſit, dicẽs agrũ *lætificare terra iniecta*. Verùm vt ad illa quorũ mẽtionẽ feci cõpoſita nomina redeam, ſicut *Lætificus*, ita viciſsim *Triſtificus* priſca Latinitate dixit. Quinetiam ex aliis adiectiuis alia quæ non minus dura videri poſsint, compoſita fecerunt: vt *Largificus*, ex *Largus*, apud Lucretium, & *Vaſtificus*, ex *Vaſtus*: vt *Vaſtificam belluam* priſcus quidam poeta apud eundem Ciceronem vocat. Nec verò dubito quin vt *Triſtificus*, ita etiam *Mœſtificus* aliqui eo tempore dixerint. Gaudebant verò & quibuſdam quæ ex ſubſtantiuis eodem compoſita modo erant: ex quibus eſt *Lucificus*. Ex his autem compoſitis quædam apud eorum poſteros minus vſitata fuerunt. & ad illa quidem priora

N.ii.

quod attinet, quæ ex adiectiuis ſunt conflata, nonnulla huius generis ipſum etiam Ciceronem amaſſe videmus, ex quibus ſunt, *Mirificus*, *Honorificus*, *Magnificus*: inter illa verò quæ ſunt ex ſubſtãtiuis, eſt *Pacificus* (à quo idem non abhorruit) eſt etiam *Regificus*, apud poetas. Quidam verò ex recentioribus ſcriptoribus *Prolificus* & alia quædam dixerunt, in quibus terminatio —*ficus* reſpondet Græcæ terminationi —ποιός. Nam *Prolificus* dictum fuit pro Græco γονοποιός: ſicut à Gellio *Frigorificus* pro Græco ψυχροποιός. Verùm ad verba ex compoſitis huius formæ facta reuertar, & addam quod mirum fortaſſe alicui videatur: me non dubitare quin veteres vt verbum *Lætificare* (de quo nunc agitur) ex *Lætificus*, ita etiã *Triſtificare* ex *Triſtificus* fecerint: An tamẽ Cicero ſicut *Lætificare* ita etiam *Triſtificare* dixerit, aut certè poſſe dici à ſe cum bona Latinitatis venia exiſtimauerit, aliorum eſto iudicium.

Verbum etiam *Fortificare* meritò hîc à me ponetur, quippe quod multi ex noſtro *Fortifier* factum eſſe exiſtimaturi ſint: quũ tamen Plautus eo vſus fuerit.

Amplificare autem, Latinum eſſe, atque idem valere quod noſtrum *Amplifier*, ſiqui ignorabunt, næ illi valde ignari Latinæ

linguæ dici poterunt.

At *Turpificare* nónne turpiſsimũ verbũ quãplurimis videbitur? at Cicero paſsiuo eius participio vti nõ dubitauit. Legimus enim apud eũ De off. lib. 3, *An eſt ullũ maius malum turpitudine? quæ ſi in deformitate corporis habet aliquid offenſionis, quanta illa deprauatio & fœditas turpificati animi debet uideri?*

Pacificare, non itidem ex adiectiuo ſed ex ſubſtantiuo factum, adiiciendum his eſt: quod in noſtro ſermone, ſicut & primum, retinemus. nam *Pacifier* dicimus, ſicut *Magnifier*, ex illo *Magnificare*. Solent autem quæ noſtris vocabulis ſunt ſimilia, magis etiam (vti dixi) ſuſpecta eſſe quàm alia quæ eiuſdem alioqui ſunt formæ. Verùm vt verbi *Magnificare* Latinitatem idoneis teſtimoniis cõfirmaui, ſic & *Pacificare* Latinum eſſe teſtibus multis probarem, niſi obuios eſſe ſcirem. Hoc tantùm dicã, Ciceronem adeo verbum hoc non refugiſſe, vt etiam verbalibus eius, *Pacificatio* & *Pacificator*, necnon *Pacificatorius*, vti minimè dubitarit.

Gratiam memoriæ meæ habeo, quæ mihi finem huic de iſtis compoſitis ſermoni imponere volenti, commodùm ſuggeſſerit & verbũ *Velificari*: cuius vſum in quibuſdã fuiſſe reprehẽſum ſcio, quaſi magna

quadam recẽtiorum ſcriptorum audacia excogitati. Contrà enim qui non ex recẽtibus nec audacibus eſt Cicero, necnõ Cælius in quadam ad ipſum epiſtola, eo in metaphorica itidem ſignificatione vſi cõperiuntur. Interim verò abſit vt videar cuiquam, dum oſtendo ſtultè verba hæc, *Magnificare*, *Lætificare*, *Fortificare*, *Turpificare*, *Pacificare*, *Velificari*, tanquam ſcopulos vitari, velle ad barbariem feneſtram aperire, & verbo quoque *Ratificare*, aliíſq; nõnullis quæ noſtris reſpondent, eadem opera calculum meum apponere. Cõtrà enim acerrimum eſſe me barbariei hoſtẽ meus De abuſu Græcæ linguæ liber abundè teſtabitur: ſić tamen vt *Glorificare* & *Sanctificare*, aliáque huius formæ nonnulla, theologis prærogatiua quadam (ſi nullius ſatis Latini ſcriptoris autoritate confirmari poſsint) concedenda eſſe cenſeam.

DE *uariis loquendi generibus, quæ falsò ſuſpecta ſunt.* CAP. III.

LOQVENDI genera falsò ſuſpecta hunc in locum reſeruaui, præter nonnulla quę ad explicandam quorundã verborum ſignificationem, intermiſcere neceſſe fuit. De hoc autem primùm generatim & vniuerſè monebo, ea potiſsimum in ſuſpicionem venire, in quibus non verbum duntaxat, ſed nomen quoque illi adiunctum, vt ſignificatione ita etiam voce Gallico ſimile eſt. veluti quum dico, R*eddere ſpiritum*, vt nos R*endre l'eſprit*: & T*enere promiſſũ*, vt nos T*enir promeſſe*. Multi enim Latinũ eſſe illud genus loquẽdi, T*enere promiſſũ*, perſuadere ſibi vix poſsint, quum tamen ipſe etiam Cicero vſus eo fuerit. Idem dicendum de F*acere officiũ*, vt à nobis dicitur, F*aire ſon office*. Eodem modo R*eſcindere ſentẽtiam iudicis*, pro his noſtris R*eſcinder la ſentẽce du iuge*: itidem que R*eſcindere cõtractum*, pro his R*eſcinder le contract*. Ac quo plura noſtris ſimilia vocabula coniunguntur, eo magis plerique ſuſpectum ſermonem habent: veluti ſi ita loquar, R*eformare mores corruptos*, vel R*efor-*

mare & corrigere mores corruptos ac deprauatos, ſicut dicere lingua vernacula poſſet, *Reformer & corriger les meurs corrompues & deprauees*. Ad eundem modum *Reformare ſtatum corruptũ Reipublicæ*, pro his, *Reformer l'eſtat corrompu de la republique*. Quibus addi hæc poſsunt, *Reprimere audaciã & inſolentiam hominum temerariorum & ſuperborum*, pro his noſtris, *Reprimer l'audace & inſolence des hommes temeraires & ſuperbes*. Hîc enim verbum *Reprimere* ſuſpectũ pleriſque fuerit, in Latina lingua non ſatis exercitatis, aut quibus lõga deſuetudo obliuionẽ multorũ afferre potuit: vulgus verò idem & de vocabulis illi adiunctis ſentiet.

Verùm ego exempla hîc proferam eorum potiſsimum loquendi generum quæ duabus tantùm vocibus conſtabunt, Verbo nimirum, & accuſatiuo illi adiuncto: qualia ſunt illa, *Reddere ſpiritum*, & *Facere officium*, & *Tenere promiſſum* (ſic tamen vt quædam etiam afferam ex iis in quibus nomen verbo iunctum ſignificatione tantùm, non item voce, noſtro reſpondet) & quidem ab illis ipſis verbis FACERE & TENERE, initium ſumens. Quemadmodum igitur dicimus *Faire fin*, ſicut & *Mettre fin*, ita Latini *Facere finem*, non minus

quàm *Finem imponere*: diuerſis tamen conſtructionibus. Sic pro his noſtris *Faire mẽtion*, dicere poſſumus ad verbum, *Facere mẽtionem*: & quidem conſtructionem etiam noſtram, ſi libeat, ſequendo. Sicut enim ita loquimur, *Faire mention de moy*, ita Latinè *Facere mentionem de me*, non minus dicere liceat, quàm *Facere mentionẽ mei*. vſus enim conſtructione illa eſt ipſe quoque Cicero. *Facere pacem* & *Facere inducias*, illis vſitata fuiſſe, vt ſunt nobis *Faire paix* & *Faire treue*, multi loci teſtantur. Viciſsim autem *Bellum facere*, apud Ciceronem quoque inuenitur. Item *Facere ſeditionem* aut *conſpirationem*, & *Facere turbas*, vel *Facere motus*, aut *concitationes*, Latina ſunt, non minus quàm Gallica ſunt iſta, *Faire une ſedition*, vel *une conſpiration*, & *Faire des troubles*, & *Faire des eſmotions*. Quinetiam *facere lites* ita dixit Terentius, vt ſolet à nobis dici *Faire noiſe* vel *des noiſes*. Eſt frequens & *Facere iniuriam*, non minus quàm nobis *Faire iniure*. Denique & *Facere plagam* vel *uulnus* dixerunt, vt nos *Faire une playe*: item *Facere cædem*, vel *magnam ſtragẽ*, vt nos *Faire un meurtre*: & *Faire une grãde tuerie*. atq; adeò *Facere ſanguinẽ*, vt dicimus *Faire ſang*. illo enim vſus eſt Liuius. Apud eundẽ necnõ apud Naſonẽ *Facere metũ* legimus: quod cõuenit

cum his noſtris *Faire peur*. Quinetiam inuenitur *Facere timorem*, vel *formidinem*, vel *terrorem*. Quòd ſi libeat etiam dicere *Facere pauorem*, vtẽdo ſynonymo illis nomine quod cum noſtro conuenit (nam ex *pauor* facimus *paour*, pro quo tamen pleriq; potius pronuntiant *peur*) ita loqui idem Liuius nobis permittet. Dicitur ab illis *Facere impenſam*, vel *ſumptum*, item *Facere iacturam*, ſicut à nobis *Faire deſpenſe*, & *Faire perte*. Viciſsim *Facere quæſtum* vel *lucrum*, vt in ſermone noſtro *Faire gain*, vel *du gain*. item *Faire du profit*. Item *Facere mercaturam*, vt Gallicè *Faire marchandiſe*: licet frequẽtius ſit *Faire train de marchãdiſe*. Quòd ſi & ad rem ruſticam veniendum ſit, vt in ſermone Latino legitur, *Meſſem facere*, ita in noſtro dicitur *Faire moiſſon*. neque minus Latinum fuerit (ſi Varro Latinè loquutus eſt) *Vindemiam facere*, pro noſtro *Faire uendange*. In nauigatione autẽ (quã potius cum mercatura coniungere debui) ſicut *Vela facere* dixerunt illi, ita nos *Faire uoile*. Sed quid ego de velificatione loquor? imò verò ex vaſto exemplorum mari in portum me recipere volo: ſi prius lectorem monuerim quædam eſſe quæ nos non ſine aliqua ad ſubſtantiuum adiectione dicamus, quum ab illis abſque illa

etiam dicantur. Exempli gratia, nos *Faire chemin*, vix pro noſtro agnoſcemus, vt Latini omnes *Facere iter* pro ſuo agnoſcent, (licet & quod *Facere ueſtigium* Cic. dixit, nobis ſit itidẽ *Faire un pas*) at *Faire un grãd chemin*, noſtrum eſſe minimè negabimus. Quinetiã monendus à me prius eſt, nonnulla eſſe loquẽdi genera quæ licet noſtris reddi ad verbũ poſſe videãtur, tamen ita reddita, non ſat Gallica fuerint. ex quibus eſt *Audientiam facere* (de quo alibi dicam) quum alioqui pro *Facere ſilentium* dicamus itidem *Faire ſilence*. Deniq; hoc quoque (vt cautior in ſuo ſit ſermone) ex me intelligat oportet, quibuſdam etiam ſubſtantiuis iungi hoc verbum *Facere*, quibus nos iungere potius ſolemus noſtrum *Donner*, quod factum eſt ex Latino *Donare*: aut noſtrũ *Bailler* (quod fecimus ex Græco *βάλλειν*: cuius verbi ſimilẽ vſum nuper annotaui inter vocum difficiliorũ Noui Teſtamenti interpretationes, quas eius margini adſcripſi) vt qui hoc ignorabit, dum Gallicam vocem Latina ſimili volet reddere, in Latinitatem non peccet. Sunt tamen etiam quædam loquendi genera quibus ſicut ab illis, ita etiam à nobis vtrunque verbum iungitur. Nam vt *Facere ſpem* & *Dare ſpem* illi dicunt, ſic nos, *Faire*

eſperance & *Donner eſperance*: ſic tamen vt hoc frequẽtius quàm illo vtamur. At verò quũ *Facere poteſtatẽ* (ſicut *Facere facultatẽ*, necnon *Facere ius*) & *Dare poteſtatem* illi dicant, nos non aliter quàm *Donner puiſſance*. Sic etiam quum *Facere audaciam*, vel *animos*, ſeu *ſpiritus*, dicant, & verbo quoq; *Dare* hac in re aliquando vtantur, nos eo tantùm vtimur quod illi *Dare* reſpondet. Quum item *Facere conſilium* & *Dare conſilium* illis in vſu ſint (nam illo quoque vſus eſt Liuius) apud nos auditur tantùm *Dõner conſeil*. Viciſsim quũ nos dicamus *Faire grace*, & *Dõner grace*, illi in vſu duntaxat habent (vt opinor) *Facere gratiã*, vel, cum adiectione genitiui, *Facere gratiam delicti*, ſeu *criminis*. Alicubi verò & *Facere* & *Tenere* vſurpant, vbi nos *Tenir* tantùm dicimus: vt *Facere promiſſum*, & *Tenere promiſſum*: vt nos *Tenir promeſſe*. At *Faire promeſſe* nobis idẽ valet quod *Promittere*. Sic quoq; *Facere modum* & *Tenere modum* Latina ſunt, pro vnico noſtro *Tenir meſure*. At verò vt illi dicunt *Facere diſcrimen*, & *Diſcrimen ponere*, vel *ſtatuere*, ſic nos *Faire difference*, necnon *Mettre difference*. Sed vbi Plinius dicit *Facere in ambiguo*, nos hoc noſtro *Mettre* dũtaxat vteremur, dicẽtes *Mettre en doute*.

Alicubi verò Latini vel hoc *Facere*, vel verbo *Accipere* ſine diſcrimine vtũtur, vbi nos vti noſtro *Faire* nõ poſſumus, ſed tantùm verbo' *Receuoir*: quod illi *Accipere*, vel potius alii eiuſdem claſsis verbo *Recipere*, reſpondet. nam Latinis *Damnum facere* & *Damnum accipere*, id eſt quod à nobis dicitur *Receuoir dommage*: neque *Faire dommage* vllo dici modo à nobis poteſt de illo qui damnum accipit: quanuis alioqui vt illi *Facere iacturam*, ita nos *Faire perte*, vel *une perte* dicamus. Quemadmodũ autẽ cautione in hac phraſi vtendũ eſt, non minus quàm in illa *Facere promiſſum* (de qua paulo antè) ita etiã in illis in quibus Latinum ſubſtantiuum nullo modo reſpondet noſtro, in ea quidem certè ſignificatione quã ibi habet: quum alioqui in prima & vulgari ſignificatione ſimilia ſint. Exempli gratia, ſiquis meminerit ſe legiſſe *Inuidiam facere*, ideóque pro his noſtris *Faire enuie* Latinis illis vtatur, toto (quod aiunt) cœlo errabit. nam aliud hîc *Enuie*, aliud illic *Inuidia* ſignificat: & (quod obſeruatione dignum eſt) neque *Inuidia* in vllo genere loquendi pro eo ponitur quod hîc nobis ſonat *Enuie*: neque vicíſsim hoc noſtrum in vllo Latini illius ſignificationẽ habet. Aliquid etiam de adiectiuorum Latino-

rum quæ huic verbo iunguntur, cum noſtris conuenientia dicendum eſt. Sicut igitur à nobis dici ſolet, *Ne le faites pas long*, quum iubemus aliquem breuitate vti, eodem modo dici poteſt, *Ne lõgum facias*, vel *facito*: quum Horatius dixerit, *Ne longum faciam*, pro his noſtris, *Pour ne le faire long*. Apud Ciceronem autem legimus etiam, *Nõ faciam longius*, in lib. De legibus. Neque verò *Facit totum* alium vſum habet, quàm quod dicimus, verbis vt voce ita ſignificatione ſimilibus vtentes, *Cela fait tout*, vel *le tout*. Ecquis verò ita loquitur? Vlpianus ſaltem, vbi ſcribit, *Et facit quidẽ totum uoluntas defuncti. nam quid ſenſerit ſpectandum eſt.* Sic enim & nos loqueremur, *Sa uolõté fait tout*, pro *Ex eius uoluntate pendent omnia* (quo etiã modo dicimus, *Tout depend de ſa uolonté*) vel *In eius uoluntate poſita ſunt omnia.* Alia quædã minus noua fuerint, in quibus adiectiuum non de re ſed de perſona dicitur. ex quibus eſt *Infamem facere*, apud Terentiũ, ſicut apud nos *Faire infame*. Neque dubium eſt quin vt dicimus, *Ie le feray ioyeux*, ſic etiam dictum fuerit, *Lætum faciam illum*: quum Plautus dixerit etiam *Eos lætantes faciam aduentu meo.* Ab eodem dicitur aliquis *glorioſum ſe facere*, item *Facere ſe fa-*

œtum. Eandem in quibuſdam etiam linguæ vtriuſque aduerbiis conuenientiam hîc oſtenderem, niſi in eum locum vbi de aduerbiis agam, reſeruanda putarẽ: ſicut etiam quod de illo præpoſitioni De iuncto dicendum eſt, in eum reiici debere locum vbi de illa orationis parte diſſerã.

Potius igitur cuiuſdam vſus verbi huius *Facere* mentionẽ faciam, qui rariſsimus & obſeruatione tamẽ eſt longè digniſsimus: cuiuſdam vſus, inquam, qui itidem noſtro *Faire* cum illo communis eſt: quum videlicet ponitur loco verbi quod alioqui repetendum eſſet. Fab. lib. 2, cap. 9, *Nanque erit alius hiſtoriæ magis idoneus, alius compoſitus ad carmen, alius utilis ſtudio iuris: & nõnulli rus fortaſſe mittendi. Sic diſcernet hæc dicendi magiſter, quomodo palæſtricus ille curſorem faciet, aut pugilem, aut luctatorem, aliúdue quid ex iis quæ ſunt ſacrorum certaminũ.* Hîc enim *faciet* ponitur loco verbi *diſcernet*, repetendi ex præcedenti: & nos eodem loqui modo ſolemus, vtentes noſtro *faire*. Dicimus enim, *Ie l'eſcriray auſsi bien que uous feriez*, pro *auſsi bien que uous l'eſcririez*. Itidémq;, *Ie le diray auſsi bien que uous feriez*, pro *auſsi bien que uous le diriez*. Sic etiã (vt exemplo vtar, cui illud ipſum Fabii verbum *diſcernere* adhibeam, eandémque ſimul conſtru-

ctionem) diceremus, *Ie diſcerneray auſſi bien cela que feroit un orfeure l'or d'auec le cuiure.* Sed vnde (dicet quiſpiam) hunc verbi *Facere* vſum ſumpſit Fabius? quo exẽplo ita loquutus eſt? Varronis ſaltem exemplo ita loquutum eſſe illum teſtari poſſum: quippe qui loci cuiuſdam recorder, in quo ita verbo *Facere* vſus eſt. Repetam autem altius, vt iudicare facilius de eo poſsit lector. Hoc eſt igitur principiũ capitis 44, libri 1, *Seruntur fabæ modij quatuor in iugero: tritici, quinque: ordei, ſex: farris, decem. Sed nõnullis locis paulo amplius, aut minus. ſi enim locus craſſus, plus: ſi macer, minus. Quare obſeruabis quantum in ea regione conſuetudo erit ſerendi: ut tantum facias, quantum ualet regio, ac genus terræ: ut ex eodẽ ſemine alicubi cũ decimo redeat, alicubi cũ quintodecimo.* Quis enim *ut tantum facias*, pro *ut tantum feras*, dictum eſſe neget? Vide lector vt ſermo noſter Latinitatem imitetur, in quibuſdã etiam quæ ab ea eſſe alieniſsima videri poſsint. Sed ecce, dum illum Fabii locum attuli, recordatus ſum & cuiuſdam vbi aliũ vſum dat verbo iſti *Facere*, qui obſeruatione & ipſe minimè eſt indignus: quũ nihil alioqui cum proximè præcedente commune habeat. Scribit enim lib. 1, cap. 6, *Nam quid Progenies genitiuo ſingulari, quid Spes plurali faciet?*

faciet? Et pauciſsimis verbis interiectis, *Quid de aliis dicam, quum Senatus, ſenatus ſenatui, an ſenati ſenato faciat, incertum ſit?* Hîc enim eũ verbi *Facere* vſum habemus, quẽ alioqui in grammaticis, tanquam barbarum, reprehendere ſolemus. Sed hos dicere etiam *Genitiuum facit in us*, vel *per us*, non ignoro.

Loquendi generibus nonnullis quibus verbum TENERE adhibetur, ſecũdum me daturum eſſe locum promiſi: quanuis in ſuperioribus non ſolùm de illo vſu verbi huius diſſeruerim quo pronomen ei iũgitur, ſed alios etiam quoſdam accuſatiuos, quales in noſtro ſermone, ei iũgi oſtẽderim. Illis igitur loquendi generibus quæ pag. 132 & 133 leguntur, additurus aliquot, incipiã à quodã quod præ quouis alio ſuſpectũ multis fuerit: & quidẽ mihi ipſi (vt ingenuè fatear) ſuſpectum aliquando fuit. Nam *Tenere grauitatem* vix poſſe dici Latinè exiſtimabam, & duobus illis verbis exprimi quod nos iiſdem penè vocibus vtẽtes dicimus, *Tenir grauité*, vel *Tenir ſa grauité*, donec incidi in hunc locum Ciceronis, epiſt. ad Att. libro nono, *Ego tuis conſiliis uſus ſum, maximè quòd & grauitatem in cõgreſſu noſtro tenui, quam debui, & ad urbem ut non accederem perſeueraui.* Fortaſſe tamẽ

quoniam pronomen *meam* non additur, aliquis *grauitatē tenui* negabit eſſe id quod dicimus, *I'ay tenu ma grauité*: ſed quídnam eſt, obſecro, ſi hoc ipſum non eſt? neque enim iam de illo vſu loquor quem verba iſta habent, quum iocamur: ſed quum intelligimus, *tenir ſon reng & ſon degré & ſa reputation*. Maluiſſe alioqui Plinium iuniorem dicere, *Tenere ſe intra grauitatem*, non ignoro: vnam ex epiſtolis libri noni ita inchoantem, *Frequenter agenti mihi euenit ut Centumuiri, quum diu ſe intra iudicum autoritatem grauitatémque tenuiſſent, omnes repentè quaſi victi coactiq; conſurgerēt, laudaréntque.* Sed cur maluerit hoc quàm illo modo loqui, ipſe viderit, præſertim quum alterum quoque accuſatiuum addere, meo quidem iudicio, potuerit, non adhibita illa præpoſitione vnà cum pronomine. Quídni enim, *quum diu autoritatem grauitatémque tenuiſſent*, dixiſſet (nam alteram lectionem, quæ & tertium accuſatiuum habet, *iudicium*, nullo probare modo poſſum: & *iudicum autoritatem*, non *iudicium, autoritatē*, legi debere, manifeſtū eſſe puto) vt Cic. *grauitatē tenere* dicit? Sed hic ſcriptor præpoſitione illa *intra* libēter ita vtitur: adeo vt etiā *Tenere ſe intra ſilētiū* dicat.

Tenere promiſſum à Latinis, & nominatim à Cicerone, docui in ſuperioribus ita

dici vt à nobis *Tenir promeſſe*:addo autem ex eodem, *Tenere fidem*, cõueniens itidem cum eo quod dicimus *Tenir la foy*. Neque minus hoc loquendi genus, *Seruare fidem*, reſpondet noſtro, *Garder la foy*. At verò pro *Conſuetudinem ſuam tenere* dicere ſolemus *Entretenir ſa couſtume*, compoſito vtẽtes:eodémque modo pro *Dignitatem tenere*, nobis in vſu eſt *Entretenir ſa dignité*. Quinctiam vt altero quoque illo verbo *Seruare* hiſce duobus in locis vtuntur Latini, ita nos noſtro *Garder*, quod ei ſignificatione reſpondet. nam vt dicitur etiam, *Conſuetudinem ſuam ſeruare*, (vel abſq; pronomine) ſic à nobis *Garder ſa couſtume*: itidémque *Dignitatem ſuam ſeruare* (vel abſq; pronomine) pro illis, *Garder ſa dignité*. Sic verò & cum aliis pleriſque accuſatiuis ſuo *Tenere* vel *Seruare* vtũtur, vbi nos itidẽ noſtro *Garder*, vt quũ dicũt, *Tenere modũ*, & *Tenere decorũ*: itẽ *Suũ tenere*, pro *Garder le ſiẽ*.

Sed ab illis loquendi generibus, vbi verbum hoc accuſatiuo iungitur. (quãuis adiici multa illis poſsint) veniam ad ea vbi præpoſitioni *in* iungitur, eandémque hîc etiam linguarum iſtarum conuenientiam oſtendam. Quemadmodum igitur apud hiſtoricos legimus *Tenere in armis milites*, ſic & nos dicimus *Tenir en armes*. Sic etiã

quo illi dicunt modo *Tenere aliquos in officio*, eodem nos *Les tenir en leur deuoir.* Neque verò ſiquis pro his *Tenir quelcun en ſa puiſſance*, dixerit itidem *Tenere aliquem in poteſtate*, vel *ſua poteſtate*, timendum eſt ei ne Latinitatis violatæ teneatur, quum ipſe quoque Cicero ita loquutus fuerit.

In verbo HABERE multas itidẽ phraſes noſtris ſimiles inueniemus .i. iis quibus noſtrũ *auoir* (quod ſignificatione illi reſpondet) adhibemus. Initium autẽ ſumam ab eo quod dicimus *Auoir une maladie.* quoniam me reprehẽſum fuiſſe memini quòd itidem *Habere morbum* dicerem. Ego Martialis verſum proferre (quum aliud teſtimoniũ memoria non ſuggereret) *Non habui febrim, Symmache, nunc habeo.* Tum me reprehenſores illi irridere, quaſi futilẽ quẽdam Latinitatis autorem proferrem. At ecce Ciceronis etiam (quo grauiorem requirere illius autorem non poſſunt) talem vſum, initio cuiuſdam adGallum epiſtolæ, quæ eſt 26, ſeu 27, libri 7, *Quum decimum iam diem grauiter ex inteſtinis laborarem, neq; iis qui mea opera uti uolebant, me probarẽ non ualere, quia febrim non haberem, fugi in Tuſculanum, quum quidem biduum ita ieiunus fuiſſem ut ne aquam quidem guſtarem.* Apud eundem in contraria ſignificatione legimus

etiã *Carere febri*, quod itidem nouum pleriſque videri poſsit: ideóque locũ hîc quoque proferam. Is eſt in vna ex iis quæ ad Tironẽ ſcriptæ ſunt epiſtolis, in ipſo initio, *AEgypta ad me uenit pridie idus Apr. is etſi mihi nũtiauit te planè febri carere, & bellè habere: tamen, quòd negauit te potuiſſe ad me ſcribere, curam mihi attulit: & eo magis quòd Hermia, quem eodem die uenire oportuerat, non uenerat.* Sic etiam *quartana carere* apud eundẽ legimus in quadam ad Atticum epiſtola. Ac ne putemus vel deprauatos eſſe hos locos, vel hoc loquendi genus in illis Ciceroni excidiſſe, facit quidam Tuſcul. quæſt. libro I, vbi quum neget dici *Carere malo*, excipit tamen hunc vſum quo dicitur *Carere febri*. Sed locum afferre præſtat. ita ergo ille, *Carere igitur hoc ſignificat, egere eo quod habere uelis. ineſt enim uelle in carendo: niſi quum ſic tanquam in febri dicitur, alia quadam notione uerbi. Dicitur enim alio modo etiam carere, quum aliquid non habeas, & non habere te ſentias. etiamſi id facilè patiare. Carere autem malo, id non dicitur (non enim eſſet dolendum) dicitur illud, bono carere, quod eſt malum.* Hîc verò libet conſiderandum lectori proponere quomodo priſca Latinitas illum verbi vſum inuerteret. Nam qui pro *Cares febri*, dicit *Febris caret te*, illũ inuertere meo

quidem iudicio, dici poteſt. niſi potius priſcorum ſcriptorum poſteros eum inuertiſſe dicendum eſt. Vtrocunque autem modo ſe res habeat, Plautum ita loquentem audimus, in Curculionis principio, *Caruítne febris te here, uel nudius tertius?* Verùm ad Ciceronem vt redeam, in quadam ad Atticum epiſtola dicit etiam *quartanam deceſſiſſe*: ſcribens, *Etſi alteram quartanam Pamphilus tuus mihi dixit deceſſiſſe, & alterã leuiorem accedere.* Atque ita nos quoque dicimus, *La fieure s'en eſt allee.* Obſeruãdum & illud *accedere*, vnde eſt *acceſſus febris*, quod nos retinentes dicimus *Vn acces de fieure.* Verùm vt ad illud *Carere* redeã, nõ dubito quin adeo religioſi futuri ſint nõnulli, vt quãuis legãt *febrim habere*, & *febri carere*, tamen etiã *morbũ habere*, & *morbo carere*, dicere non ſint auſuri, niſi & hæc exemplo confirmentur. Sed iis qui religioni habebunt ita loqui, nequaquam hæc à me ſcribuntur. Itaque vt illos miſſos iam faciens ad alia pergam, eodẽ modo quo *habere morbum*, & nominatim *habere febrim* dicitur, ita etiam dici *habere dolorem* ſciendum eſt, à Fabio, & ab ipſo quidem Cicerone pariter: eodémque pacto *Habere malum* à Plauto.

Habere, multis aliis accuſatiuis iũgitur,

quibus & noſtrum *Auoir*, ſed de quibus nõ itidem eſſe poſsit dubitatio. Nam *Spem habeo*, dici, vt à nobis *I'ay eſperance*, item *Habeo hanc conſuetudinem*, vel *hunc morem*, ſicut Gallicè *I'ay ceſte couſtume*: item *Habere occaſionem*, ſicut in noſtra lingua *Auoir occaſiõ*: & *Habere excuſationem*, vt dicimus *Auoir excuſe*: *Habere tempus*, vel *otium*, ſicut nos, *Auoir le tẽps*, ſiue *Auoir loiſir*: vel cũ adiectione *Habere otiũ ad aliquid faciẽdũ*, ſiue *faciẽdi aliquid*: *Habere ſpatium*, in eadem ſignificatione, pro *Auoir l'eſpace*: necnon *Habere opinionem*, pro *Auoir une opinion*: & *Habere uoluntatem aliquid faciendi*, pro *Auoir uolonté de faire quelque choſe*: item *Habere uictoriam*, pro *Auoir la uictoire*, vel *une uictoire*: & *Habere moleſtiam*, pro *Auoir de la faſcherie*: præterea *Habere odium* & *Habere inimicitias*, vt dicimus *Auoir haine*, & *Auoir inimitié*, vel *des inimitiez*: hæc, inquam, & alia pleraque in dubium à paucis vocatum iri exiſtimo. Scio alioqui futuros qui quum de quamplurimis minimè dubitent, in nonnullis tamen hæreant. quorum vnum hoc fuerit fortaſsis, an dici poſsit mulier *habere maritum*, vt à nobis, *auoir un mari*: ac viciſsim vir *habere uxorem*, vt à nobis *auoir une femme*: : ſed alii accuſatiui quibus iungi hoc verbum oſtendo, nihil ne de his quidem dubita-

tionis relinquere videntur. Scio præterea quoſdam eſſe accuſatiúos quos multi vix poſſe iungi huic verbo exiſtimant: quoniã aliud genus loquendi eadem in re ſuppetit. Exempli gratia, quia *Gerere curam alicuius rei* paſsim legitur, non pauci fuerint fortaſſe qui de hac Latinitate dubitent, *Habere curã* (vt dicimus *Auoir cure*, vel *Auoir ſoin*) quum tamen hoc dicatur æquè Latinè atque illud. Sic quoniam *Natus ſum annos triginta* Latinè dicitur, plerique vix Latinum putẽt eſſe *Habeo annos triginta*: quũ tamen nonnulli ex iis qui inter Latinos ſcriptores numerantur, ita loquuti ſint.

Verùm vt de accuſatiuis dixi quos pleriq; immeritò refugiunt, ita de nonnullis lector monendus eſt, à quibus cauere ſibi debet. Sciendum eſt enim verbi *Habere* nonnullis accuſatiuis iuncti longè alium eſſe vſum quàm noſtri *Auoir*, accuſatiuis eiuſdem ſignificationis iuncti. Nam *Habere honorem* dici ſolet pro *Porter honneur*, (quo dicitur modo & *Deferre honorem*) potius quàm pro *Auoir honneur*: itidémque *Habere ueniam* paſsim legitur pro *Donner pardon* (non pro *Auoir pardon*) quod conuenit cum altero loquendi genere quo etiam vtuntur, *Dare ueniam*. Fortaſſe tamen fieri poteſt vt alicubi *Habere ueniam* in al-

tera quoque illa ſignificatione inueniatur. Quum autem *Habere ueniam* pro *Dare ueniam*, dicunt, Græcos imitãtur, apud quos legimus itidem ἔχειν συγγνώμην. Neque verò omittendum hîc fuerit & *Habere gratiam*: in quo etiam nihil eſt commune noſtro *Auoir* cum illo *Habere*. quum *Habere gratiam*, id ſit quod nos dicimus *Sçauoir gré*: atque vt Latinos Græcum ſermonem imitari liquet, quũ dicunt *Habere ueniam*, nos viciſsim, quum ita loquimur, *Sçauoir gré*, imitemur hanc illius phraſin, εἰδέναι χάριν. In altera alioqui ſignificatione, qua videlicet res quæpiam dicitur *habere gratiã*, (vt viciſsim *gratiam amittere*) nos itidem dicimus *Cela ha grace*. Quinetiam *Habere deliberationem* non eſt quod dicimus *Auoir une deliberation*, id eſt, *Eſtre en deliberation de faire quelque choſe*: ſed ponitur pro *Deliberare*. Et res *aliqua deliberationem habet*, apud Ciceronem, ad quam deliberatione opus eſt: ſicut ille apud Terentium dicit, *Ego amplius deliberandum cenſeo, res magna eſt.*

Habere cum præpoſitione in quibuſdã loquendi generibus adhibetur, quæ itidẽ communia nobis ſunt cum Latinis. Ex illis eſt *Habere in ſua poteſtate*, vt à nobis dicitur *Auoir en ſa puiſſance*. ſed plerunque

omittitur pronomen illud *ſua*, quippe quod elegantius relinquatur ſubaudiendum. Apud Plautum legitur etiam *Habere in ſeruitute*. Apud Ciceronem *Habere in matrimonio*, vt dicimus *Auoir en mariage*. Et quemadmodum *Tenere in armis*, ita etiam *Habere in armis* dici ſciendum eſt. Inuenitur verò & *Habere in honore*, ſicut à nobis dicitur *Auoir en honneur*. Legitur etiam *Habere aliquid in cura* apud Plinium: quod interpretari poſſumus, *Auoir quelque choſe en ſoin* (vel *Auoir en recommendation*) vel *Auoir ſoin de quelque choſe*. Alicubi pro *Habere* adiunctam hanc præpoſitionem habente, vtimur potius verbo *Tenir*. vt *Habere aliquem in cuſtodia* apud Liuium, *Tenir en priſon*. (itidémque cum nonnullis accuſatiuis, præſertímque adiectiuis, *habere* eſt noſtrum *tenir*) at verò *Pro hoſte habere*, reddi poteſt *Auoir pour ennemi*, vel *Tenir pour ennemi*, eodem ſenſu.

Multò autẽ magis mira videri poſsit ea verbi huius cõuenientia cũ noſtro, in hoc loquendi genere *Habeo dictum*: cui ſimile eſt *Habeo effectũ*. Quid? an *Habeo dictum* ita dicitur vt à nobis *I'ay dict*? Equidem quicunque linguæ noſtræ paulo ſupra vulgus periti ſunt, non negabunt illo in loco & ſimilibus, *I'ay* ſonare *Ego habeo*. Hoc autem ſermone vſus eſt Plautus. At Plautum imi-

tari nolo, inquies. quid ſi verò eum Cicero eſt imitatus? an quem Cicero ſit imitatus, eius eſſe imitator recuſes? Ita igitur hic circa finem Philippicæ 5, *Quæ quum ita ſint, de Cæſare ſatis hoc tempore dictum habeo.* Quòd ſiquis malit *habebo* legere, vt eſt in poſtremis editionibus, idem tamen loquendi genus manebit. Simile eſt autem apud Cæſarem, De bello Gall. lib. 7, *effectum habere.* vbi ſcribit, *Nam quæ ab reliquis Gallis ciuitates diſſentirent, has ſua diligentia adiuncturũ, atque unum conciliũ totius Galliæ effecturũ*: & paucis interiectis, *idq; ſe propè iã effectũ habere.* Sic etiã Martialis de quodam, *Rem factam habet* dixiſſe videtur. Liuius autem aliis quoque participiis hoc verbum eodem modo iunxit: ſed hunc vſum quidam non animaduertentes, *Habere pacta* perperam intellexerunt pro Paciſci, in tempore præſenti, Dec. 3, lib. 5, *Recepti deinde ab iis ut neceſſarios hoſpitéſque alloquerentur, expoſitis quæ pacta iam cum Marcello haberent, oblata ſpe ſalutis perpulere eos,* &c. Magnum certè huius verbi vſum cum variis & fortaſſe etiam quibuſlibet participiis fuiſſe apud priſcos Latinos, mihi fit veriſimile: quippe qui in locis Plauti non paucis eum obſeruarim. in quorum vno dicit etiam, *Ego habeo tibi res ſolutas*, in Curculione.

Quod autẽ in verbis illis feci, idem in aliis pleriſq; facere potuiſſem: ſed lectorẽ his exẽplis contentũ fore ſperaui: debere quidem certè contentum eſſe, aut ipſummet colligere alia, exiſtimo. Quem laborem ſi non refugerit, & in eo non ſine iudicio verſatus fuerit, huic meæ de falsò ſuſpecta Latinitate expoſtulationi maiorẽ etiã fidẽ fecerit. Animaduertat autẽ idẽ nomẽ à nobis eodẽ modo diuerſis verbis diuerſa conſtructione iungi. Exẽpli gratia, ſicut Latini dicunt *Habere poteſtatem*, necnon *Habere in poteſtate*, ſic nos *Auoir puiſſance*, & *Auoir en ſa puiſſance*: Sicut *Tenere in poteſtate*, ita etiam nos *Tenir en ſa puiſſance*: Sicut *Venire in poteſtatem alicuius*, eodem modo nos, *venir en la puiſſance de quelcun*. Sic nomen *gratia* iiſdem quibus noſtrum *grace* iungi verbis, non eodem illius manente vſu, videmus. iiſdem inquam, partim ſignificatione, partim voce & ſignificatione. nã vt dicimus *Mettre quelcun en grace*, ita Cicero (quod pleriſque mirum videbitur) *Ponere in gratia*. Dicitur item *Hæc res gratiã habet*, vt à nobis *Ceſte choſe ha grace*: & viciſsim, *Hæc res perdit gratiam*, vel *amittit*, vt à nobis, *Ceſte choſe perd ſa grace*. Item vbi *gratia*, vt noſtrũ *grace*, ponitur pro *pardon*, dicitur *Petere gratiã*, & *Facere gratiam*: vt à nobis *Demander grace*, & *Faire grace*.

CAPITIS TERTII PARS SECVNDA.

QVANVIS autem barbarici ſuſpecta potius eſſe ſoleant ea loquendi genera in quibus verbum noſtrum Latino non ſignificatione tantùm ſed etiam voce reſpõdet (adeo vt nonnulli pro hoc noſtro loquendi genere, *Apporter une nouuelle*, facilè ſint admiſſuri iſtud *Afferre nuntium*, vix autem, *Apportare nuntium*, vtpote ſibi ſuſpectum: ſic pro *Monſtrer le chemin*, recepturi ſint ſtatim *Oſtendere uiam*, at non item *Mõſtrare uiam*: itidémque pro hiſ noſtris *Cela a perdu ſa grace*, multo libentius ſint audituri, *Hoc amiſit gratiam*, quàm *Hoc perdidit gratiã*) ac potiſsimum ea in ſuſpicionẽ illã veniant in quibus tam noſtrum verbum quàm nomen cum Latinis voce non minus quàm ſignificatione conueniunt: eſſe tamen nonnulla ſciendum èſt in quibus quum neque verbum noſtrum neque nomen eadem cum Latinis ſint, quod ad vocẽ attinet, ſuſpecta nihilominus eſſe multis poſsint, & quidem iis etiam qui ſunt alioqui in Latino ſermone exercitatiſsimi, quòd videlicet rariſsimè occurrant, & ſint ſi non τῶν ἅπαξ λεγομένων, at certè τῶν ἅπαξ εὑρισκομένων, in eorũ quidẽ certè quos habe-

mus ſcriptorum quopiã. Inſigne exemplũ eius quod dico apud Virgilium extat, vbi dicit *Ducere bellum*, eodem planè modo, quo ſermo noſter *Mener la guerre*. nam *Mener* (factum ex *Minare*, quo vtitur non ſolùm vetus Bibliorum interpres, ſed etiam Auſonius) reſpõdere Latino illi *Ducere*, ſatis notum eſt. At quotuſquiſque interrogatus quomodo poſsit Latinè reddi quod dicimus *Mener la guerre*, nõ quærat potius quoduis aliud verbum quod nomini *bellum* iungat, quàm iſtud *ducere?* Ecce tamẽ apud illum quem dixi poetam, Latinorum poetarum facilè principem: & quidẽ ſic adhibitũ vt nulla de hac ſignificatione controuerſia oriri poſsit: AEneid. 8,

Hi bellum aſſiduè ducunt cum gente Latina.

Minimè alioqui dubiũ mihi eſt quin multi vbi audiuerint me afferre *Ducere bellum*, tanquã ſimile noſtro *Mener la guerre*, ignorare me credituri ſint eum vſum quem illud ipſum loquendi genus apud quoſdam hiſtoricos & ipſum etiam Ciceronem habet, pro Extrahere videlicet, ſeu Protrahere. Imò verò ne hoc quidem ignoro, à Seruio (ſi Seruii ſunt omnia quæ in commentariis ſub eius nomine editis leguntur) vtroque modo exponi. *Ducunt* (inquit) *aut gerunt, aut in longũ trahunt*: ſed vel aduerbiũ

aſſiduè adiunctum hanc poſteriorẽ expoſitionẽ refellere ſatis videtur. Velim autem cautos hoc etiã exemplo multos reddere, ne temerè hoc vel illud in Latinitate non reperiri pronuntient. Sed vnde hunc tam rarum & quidem alioqui inauditum nobis verbi huius vſum petiuit Virgilius? ex imitatione Græci ſermonis, vt opinor. ſicut enim εἰρήνην ἄγειν, ſic etiã πόλεμον ἄγειν dixerunt, licet hoc multo rarius quàm illud. Eſt autem ἄγειν idem quod ducere. adeo vt quod dicit Naſo *Agere bellum*, potius cum eo quod alii dicũt *Facere bellum*, quàm cum illo ἄγειν πόλεμον conueniat. Animaduerti ſanè Virgilium alium etiam accuſatiuum huic verbo dare Græcorum itidem exemplo. nam quum dicit *Ducere muros*, AEneid.1,

-- pars ducere muros,
Molirique arcem, & manibus ſubuoluere ſaxa,

non dubito quin itidẽ Græcum ἄγειν iunctum accuſatiuo τεῖχος (cùm apud alios tũ apud Thucydidẽ) velit repræſentare. Sed & *cælo educere molem* apud eũdem poetam legimus.. Verùm vt ad illum priorem huius poetæ locũ redeã, nemini poſthac dubitandum fuerit quin vt *Bellum facere* habemus in Latino ſermone, ſicut in no-

ſtro *Faire la guerre*, ita etiam in eodem ſit *Bellum ducere*, quod reſpondet noſtro *Mener la guerre*. Atque hîc addam ex eodem poeta aliquid cum noſtro ſermone itidē congruens, quod ad illam huius verbi ſignificationem pertinet qua dixi poni pro Extrahere ſeu Protrahere. Id autem eſt *In longum ducere*. nam optimè conuenire hoc dico cum eo quod dicimus *Mener en longueur*, vel *Mener à la longue*.

Aliæ verò ſunt Latinæ phraſes (quidni enim ita vocem quæ alii loquendi genera appellant?) cum noſtris alio modo vel potius aliis modis cōuenientes, quū in iis nō itidem illæ cōſtructiones quæ in præcedētibus cernantur. Incipiam ab illo ipſo verbo *Habere*, iūncto infinitiuo *dicere*: & lectorem vtriuſque linguæ ſatis peritum rogabo annon *Quid habes dicere*, apud Tullium in Partit. id ſit quod dicimus, *Qu'auez vous à dire?* Sic autem & alibi loquitur: vt Pro Cornelio Balbo, *Quid habemus igitur dicere de Gaditano fœdere?* item De diuin. libro 2, *De noſtris ſomniis quid habemus dicere?* Item abſque interrogatione, De natura deorum, libro 3, *Hæc ferè dicere habui de natura deorum*. Miror autem quoſdam *Habeo dicere* & *Habeo dictum* eadem ſignificatione poni exiſtimaſſe: quū *Habeo dictum*.

id

id ſit quod nobis, *I'ay dict*, in præterito:at verò *Habeo dicere* id ſit(meo quidē iudicio) quod in noſtro ſermone, *I'ay à dire*. quòd ſi etiam non id eſſet, nullo tamen modo idē cum illo *Habeo dictum* ſignificare poſſet, quum hoc indicari præteritum tempus(vti dixi)& manifeſtum & neceſſe ſit. niſi codē peccare modo veliimus quò illi qui apud Liuium *Habere pacta cum aliquo* expoſuerūt Paciſci. Hoc enim perinde eſt acſi *Habere bellum ſuſceptum* apud eundem Tullium exponeremus Suſcipere bellum, non autem Suſcepiſſe, in orat. Pro lege agr. Minimè autē dubito quin Latini, quū ita loquuti ſunt, *Habeo dicere*, ad Græcū ἔχω εἰπεῖν ſpectarint: ſic tamen vt ſignificationē verbi ἔχω, qua pro Poſſum ponitur, (alioqui propria & prima ſignificatione ſonans *Habeo*) repræſentare noluerint. Idémque dicendum videtur & de iſtis verbis *Habebam mandare*, apud Naſonem, 1. Triſt. elegia 1,

Plura quidē mandare tibi (ſi quæris) habe-
Sed uereor tardæ cauſa fuiſſe moræ. [*bā*:

itidémque de iſtis Horatianis, *An melius quis habet ſuadere?* Non video (inquam) quid neceſſe ſit in iſtis locis verbo *Habere* ſignificationem illam verbi ἔχειν tribuere qua ponitur pro Poſſe. (nam *Habebam mā-*

dare plura, videtur aptiſsimè reddi ad verbum, *I'auois à uous commander autres choſes*) At verò iſta Horatii, *An melius quis habet ſuadere?* fortaſſe non malè accipiẽtur perinde acſi Græcè diceretur, ἢ ἔχει τίς βελτίονα παραινέσαι; Sic etiam quum Cicero ſcribit Lentulo, *De Alexandrina re cauſaque regia tantum habeo polliceri, me tibi abſenti tuíſque præſentibus cumulate ſatisfacturum*, potius dixerim *Habeo* eſſe illud ἔχω, quàm expoſuerim cum Valla, Pollicendum mihi eſt. Affert idem ex Cicerone in Catone maiore, *Neque eos ſolùm conuenire habeo quos uidi, ſed etiam quos audiui & legi*. & ex libro De oratore, *Audire habeo quid hic ſentiat*. itidémq; exponit hîc, Audiendum eſt mihi: illic, Cõueniendum eſt. Neque alteram lectionem probat, *aueo*, ſed expoſitionem ſuam confirmari ait hac loquendi forma quæ eſt apud Fabium, *Vt impetrandum à uobis habeam odij mei fauorem*. quòd hîc ſignificetur itidem, Vt impetrandus mihi ſit à vobis odii mei fauor. Sed quid commune habẽt illa loquendi genera quibus gerũdium adhibetur cum iis quibus modus infinitiuus? Tandémque addit, ex his Cæſaris Augusti verbis, *Quid aliud habeo quàm deos immortales precari?* perſpicuum eſſe, non rectè legi *aueo* in duobus illis quos proximè at-

tuli locis. Sed diſsimiles locos non rectè pro ſimilibus habet: atque vt illi daretur, ſcribendum ibi eſſe *habeo*, non *aueo*, (quum tamen & veteres libri huic lectioni aſſentiãtur, & ſenſum apriſsimum habeat) non tamen concedendum eſſet, eundem eſſe vſum verbi *habeo* in illis Ciceronis locis qui ſit in iſto Auguſti: licet vtrobique iunctum itidem infinitiuo ſit illud verbum. Videntur quidem certè hæc Auguſti poſſe à nobis & ipſa reddi ad verbum in ſermone noſtro, *Qu'ay-ie ſinon à prier les dieux?* vt dicimus *Tu n'as qu'à prendre garde à cela*, pro *Tu n'as autre choſe à faire qu'à prendre garde*. Poſſent tamen eſſe etiam éiuſmodi quæ illa Auguſti verba præcedunt & quæ ſequuntur, vt *habeo* eſſet pro illo ἔχω. Non dubium eſt autem quin malè à Valla hic infinitiui vſus vbique cum gerũdii vſu idem eſſe exiſtimetur: licet in hoc quoque adhibere noſtrum infinitiuũ poſſimus: & (verbi gratia) pro *Habeo hoc impetrandum*, dicere, *I'ay à impetrer cela*, id eſt, *Il me faut impetrer cela.* Sic etiam pro his, *Habeo mittendos legatos*, (quæ ſunt verba Senecæ) *I'ay à enuoyer des ambaſſadeurs.* Animaduerti autem (quod obiter dicam) quoſdam ex Ciceronis poſteris gerundiũ adhibere nõnullis etiam locis quibus ille

infinitiuum potius adhibuiſſet: veluti quũ ſcribit Suetonius in Auguſto, *Fuit & qui ſuaderet appellationem menſis Auguſti in Septembrem trãsferendam.* Potius enim dictũ à Cicerone & aliis eiuſdem ſeculi fuiſſet, *ſuaderet transferre.*

In gerundii autem mentione reuocare tibi in memoriam volo illum eius vſum quem antea obſeruandum eſſe dixi: multa enim loquendi genera falsò ſuſpecta poteſt reddere. Ille eſt quo dicitur aliquid eſſe *Difficile ad credendum*: ſicut à nobis *Difficile à croire.* De quo ne plura hîc addere neceſſe habeam, te ad paginam decimam ſextam huius libri remittam. Atque ad infinitiuum reuertẽs, te monebo ne, quemadmodum lingua vernacula ita loqueris, *I'ay oui dire*, ita etiam loqui in Latina dubites, *Audiui dicere*, niſi Varronianam phraſin refugiendam tibi putes: imò verò & Ciceronianam. Alioqui potes etiam ita loqui, *Audiui dici*, ex eodem Cicerone, necnõ ex Terentio.

Quibuſdam autem verbis eodem quo Latini modo vtimur, etiam quòd ad particulæ alicuius adiunctionem attinet: veluti quum dicimus *Fay que tu uiennes*, ſicut Latinè, *Facito ut uenias.* Sic *Fay que ie ſache*, *Facito ut ſciam.* Quinetiam *Facito ut iuſſi*, ita

dicitur vt à nobis, *Fay comme i'ay commandé.* ſed hic vſus non itidem ſuſpectus fortaſſe fuerit.

Iam verò ſi à verbis ad nomina veniẽdum ſit, inueniemus & iń his quędam loquendi genera, quæ quum Latina ſint, pro Latinis tamen à decimo quoque, vel potius viceſimo, vix habeantur. Nam quis pro eo quod dicimus *A fin*, vel *A celle fin*, dici itidem poſſe *Eo fine*, vel *Ea fini*, exiſtimet? At poſſumus ſanè: ita vt hæc Gallica, *Ie luy obei à celle fin que d'ennemi ie le rende ami*, poſsis ita interpretari, *Illi obedio ea fini ut ex inimico reddã amicũ.* Sic enim apud Gellium libri 7, cap. 3, loquitur Tiro, *At hoc enim planè ſtultitiæ plenum eſt, eo conſilio atque ea fini facere nolle aliquid uti nunquã id facias quod uelis.* Sic verò & *Ad quem finem* dicitur eo modo quo à nobis *A quelle fin*, & quidem à Cicerone etiam: ſed multo minus hoc, quàm illud, pleriſque nouum fuerit. Sic etiam fuerit minus nouum, dici *ea conditione* ab illis, eo modo quo à nobis *A condition que* &c. vel *A ceſte condition.* At verò *Eo caſu*, vel *In eo caſu*, aut *Hoc caſu*, ſiue *In hoc caſu*, pro eo quod dicimus *En ce cas*, ſiquis Latinum eſſe dixerit, magnam ſanè multis admirationem mouerit: eſſe tamen Latinum negari non poteſt quin ali-

gamus. Atque eſt profectò & verbi *Incendere* (vnde illud nomen) in metaphorico etiam vſu cum noſtris *Enflâber* & *Allumer* conuenientia quædam: id eſt, in quibuſdã loquendi generibus. Sed ea lectori obſeruanda relinquens, hoc tantùm addã, ſicut noſtro *Boutefeu* plerunque ſignificationem metaphoricam tribuimus, ita etiam Latinum *Incendiarius*, cui reſpõdet illud, nos (meo quidem iudicio) ad metaphoricam ſignificationem poſſe itidem transferre, eadémque libertate & in quibuſdam aliis vocabulis vti: & quidem iis potiſsimum in locis vbi non itidem vt hîc aliam vocem habemus qua Gallicam noſtram exprimamus. Nam pro illo noſtro *boutefeu*, translatè poſito, *facem* non ſine exemplo dicere poſſumus. Sed quum de eo loquimur qui excitandi diſcordias ſeu ſeditiones velut artem factitat, tum illud *incendiarius* aptius fuerit.

Pulchra autem & in quibuſdam ex iis verbis quæ ad ſenſus pertinent, conueniẽtiæ huius exempla inueniũtur: & quum de appellationibus partium corporis differerem, nõnulla quæ ad eam faciunt attuliſſe mihi videor. Nunc in verbo *Guſtare* illam proponere ſatis habebo. Cic. in Piſonem, *Non eſt integrũ Cn. Põpeio conſilio iam uti tuo.*

errauit enim.non guſtarat iſtam tuam philoſophiam. Item De nat.deorum lib.1, *Hunc cenſes primis(ut dicitur) labris guſtaſſe phyſiologiã, qui quicquam quod ortum ſit, putet æternũ eſſe poſſe?* Idem in orat. Pro Cælio dicit *guſtare primoribus labris*, quòd hîc *guſtare primis labris*: ſcribens, *Equidem multos & uidi in hac ciuitate & audiui, nõ modo qui primoribus labris guſtaſſent genus hoc uitæ, & extremis (ut dicitur) digitis attigiſſent.* Sic certè nos vtimur verbo noſtro *Gouſter*. Sed obſeruatione præ quouis alio dignus eſt quidam Horatii locus, quod ad metaphoricum huius verbi vſum attinet, vbi etiam conſtructione vtitur qua nos vti potius ſolemus: Sat. 5, lib. 2,

Sic tibi Penelope frugi eſt: quæ ſi ſemel uno
De ſene guſtarit, tecum partita lucellum,
Vt canis, à corio nunquã abſterrebitur uncto.

Obſeruandum eſt autem in illo Ciceronis & quod dicit *Extremis digitis attingere*: cui ſimile eſt quod dicimus verbis quę illis omnino reſpõdent, ſed metaphoricè itidẽ loquentes nonnunquam, *Toucher du bout des doits*. Græci eodem modo, ſed elegantius etiam, ἀκροθιγῶς ἅπτεσθαι. elegantius, inquam, quòd vtentes illo aduerbio, vnica voce aptè compoſita exprimant quod Latini & nos pluribus.

Quinetiam ex iis metaphoricis loquendi generibus vbi verbo nomen adiungitur, quædam imitamur: veluti quum pro Laxare frena dicimus itidem *Laſcher la bride*. Dicitur autem & *Dare frena*. Quinetiã ei quod dicunt *Mordere frenum*, ſimile videtur quod dicimus ſermone noſtro, *Prẽdre le frein aux dents*. Brutus Ciceroni, *Quæ tibi ſuperioribus literis mea manu ſcripſi, terrendi tui cauſa homines loquũtur. ſi frenum momorderis, peream ſi te omnes, quotquot ſunt, conantem loqui ferre poterunt*. Itidémque Cicero in epiſtola qua his Bruti reſpõdet, *Si timidus eſſem, tamen iſta epiſtola mihi omnem metum abſterſiſſes. ſed (ut mones) frenum momordi. etenim qui, te incluſo, omnẽ ſpẽ habuerim in te, quid nũc putas?* Scribit autẽ Eraſmus, *mordere frenũ* videri ſibi poſitũ pro eo quod eſt vel leuiter repugnare ſeruituti: perinde ac ſi diceret Brutus, Si vtcunque ſignificaueris te ſeruitutẽ iniquo animo ferre. Deinde poſtquam dixit Papinium in diuerſum ſenſum vſurpaſſe, pro eo quod eſt, ſeruitutem accipere, frenúmque recipere: *Fama tacæ: ſubiit leges, & frena momordit*, id eſt, admiſit vincula matrimonii. poſtquam hoc (inquam) dixit, addit, Quanquam an etiã in hũc ſenſum verba Ciceronis accipi poſſint, doctis excutiẽdũ relinquo. Ego autẽ

memini me iam tum quum Animaduerſiones edidi in Eraſmicas quorundam prouerbiorum expoſitiones, miratum fuiſſe, tantum virum non vidiſſe, poſteriorem hanc explicationem nullo modo poſſe prouerbialibus verbis conuenire. Sed nec illa prior vim illorũ aſſequi videtur, vtpote quibus non declaretur (vt opinor) aliquem vel leuiter repugnare ſeruituti, ſed potius animum ad reſiſtẽdum obfirmare, ſicut equus qui ſeſſorem ita patitur vt interim frenũ mordendo eum inuitum auferat. Verùm vt reuertar ad genus illud loquẽdi *Laxare alicui frena*, pro quo nos *Laſcher la bride à quelcun*, ſciendum eſt, vt Latini dicunt viciſsim *Frena adducere*, ita nos *Luy tenir la bride courte*. Quinetiam vt illi ex ſuo nomine *frenum* verbum *Refrenare* fecerunt (pro quo etiam *Frenis compeſcere*, vel *coercere*, necnon *Frena iniicere*) ita nos *Brider* ex noſtrò *Bride*: cui metaphoricam itidem ſignificationem damus, ſicut alteri quod ex illo verbo Latino fecimus, *Refrener*: & quidem ita vt hoc non aliter quàm metaphoricè vtamur: quum illud in propria etiam frenandi ſignificatione ponatur: ſicut apud Græcos quoque χαλινοῦν vtrunq; vſum habet. Huc pertinẽt & quædam loquendi genera quibus habenarum

appellatio adhibetur: vt *Laxare habenas*, vt Maro loquutus eſt. Item *Remittere habenas*. cui opponitur *adducere* apud Ciceronē. Legimus etiam *Immiſſis habenis* apud eundem poetam, pro eo quod dicimus *A bride aualee*, vel *A bride abbatue*, ſimiliter per trāſlationem.

Antequam verò equos relinquamus, alius cuiuſdam phraſis ab illis ſumptæ cōmonefaciam: id eſt, à calcaribus quibus illorum armos (vt Maro loquitur) fodimus. Nam vt *Calcaria* ſeu *Calcar admouere*, vel *adhibere*, nō equis tātùm ſed hominib⁹ etiā tribuūt, pro *Incitare*, ſic & nos *Dōner un coup d'eſperon* (eſt autem nobis *eſperon*, quod illis *calcar*) vel, vno verbo, *eſperonner*. Poſſumus verò & mutata ſermonis forma, pro iſtis, *Hoc illi calcar admouebit*, dicere, *Celà luy ſera un coup d'eſperon*, vel, *luy ſeruira d'un coup d'eſperon*. Iam verò ſicut apud Latinos in metaphoricum vſum tranſiit non ſolùm calcar quo incitantur equi, ſed etiam ſtimulus quo tardi boues increpitātur (vt Tibulliano verbo vtar) ſic apud nos non ſolùm illud *eſperon*, quod eſt *calcar*, ſed etiam *aguillon*, quo ſtimulus à nobis ſignificatur. Sed nequis hunc etiā meum tractatū, vt nimis tardè procedentem, incitandum calçari vel potius ſtimulo incre-

pitandum eſſe dicat, huic de metaphoricis loquendi generibus ſermoni (qui poſſet alioqui ita produci vt longam moram ei qui cõſequi illum debet, afferret) finẽ imponendum cenſeo.

De uocabulis falsò ſuſpectis, quæ ad eas orationis partes referuntur, quas grammatici Participium & Pronomen appellarunt.

CAP. IIII.

IN PARTICIPIO quoq;, id eſt, in parte orationis ſic dicta, quædã eſt noſtræ linguæ cum Latina cõuenientia, præſertim autem in eo, quòd ſicut Latina ex multis paſsiuæ vocis participiis nomina facit, quæ participialia vocantur, ſic etiam noſtra, ſimúlque Latinam illorũ ſignificationem retinet. adeo vt (exempli gratia) ſiquis ad ſignificandã vocem noſtram *Moderé*, ex propinquo vocabulum *Moderatus* accipiat, aptiſsimè illã ſit interpretaturus: & quidem ſiue *homo moderatus*, ſiue *quidpiam moderatum* eſſe dicatur. Idem & de voce *Temperatus*, quæ ſimilem ſignificationẽ habet (adeo vt Cicero

alicubi illas copulet) ſentiendum eſt, noſtrum *Tempere* vel *Attrempé* optimè illo redditum iri. Libet autem aliquot exempla vſus horum participiorum, vel potius participialiũ nominum (liceat enim in rebus grammaticis grammaticè loqui) proponere, priore loco illi *Moderatus* dato. Legimus igitur apud Tullium, Philipp. 2, *Quod autem idem mœſtitiam meam reprehendit, idem iocum, magno argumẽto eſt me in utroque fuiſſe moderatum.* Apud eundẽ pro Cluẽtio legitur *moderata ratio uitæ*: & alibi, *mores tẽperati & moderati*. Ego in his Ciceronis locis vocem noſtram *Moderé* Latinæ voci *Moderatus* reſpondere dico. Eodémque modo *Temperatus* eſt noſtrum *Temperé*, vbi dicitur ab eodem, *Vir iuſtus, tẽperatus, ſapiens*: itẽ ab Horatio *Mens temperata*: ſic etiam in illo quem proximè attuli ex eodem Cicerone loco, vbi *temperati* & *moderati* copulantur, de moribus dicta, poſſumúſque & nos itidem noſtras voces *moderé* & *temperé* ſiue *attrempé* quibuſdam in locis copulare. Vt autem illis contraria ſunt *Immoderatus* & *Intemperatus*, ita nobis *Immoderé* & *Intemperé*. Illis participialibus nominibus *Moderatus* & *Immoderatus*, & *Tẽperatus* atq; *Intẽperatus*, ſimilia ſunt, quod ad vocem attinet, *Conſideratus* & *Inconſide-*

ratus. ſed nos hoc potius quàm illud retinemus: ſiquidem noſtrum *Inconſideré* reſpõdet Latino *Inconſideratus*: at *Conſideré* viciſſim pro *Conſideratus*, vereor vt ſatis ſit Gallicum.

Magis etiam ſuſpectum fuerit *Diſſolutus* pro noſtro *Diſſolu*, quanuis Latinum, vel potius Latiniſsimum.

Obſtinatus quoque, licet valde vicinam vocem habeat noſtro *Obſtiné*, non minus & ipſum eſt Latinum.

At verò *Inſenſatus* reſpondet quidẽ noſtro *Inſenſé* eodem modo, ſed non video quî vllum in Latinitate locum habere poſſit: quanuis non tantùm vetus Bibliorum interpres eo vſus ſit, ſed etiam Firmicus.

Monendus autem mihi eſt lector nonnulla nos habere nomina ſuperioribus ſimilia, quæ quanuis ex participiis Latinis fecerimus, potius tamen nominibus interpretari debeamus. Exempli gratia, quãuis noſtrum *Hebeté* trãſlatum ad eum qui obtuſo eſt ingenio, ſit ex *Hebetatus*, tamen *Hebetem* rectius quàm *Hebetatum* appellabimus. Pro *Marié* item & *Mariee*, quanuis ſint ex *Maritatus* & *Maritata*, rectius dicemus *Maritus* & *Marita*. Loquor autem de illo vſu quem damus his nominibus ſine adiectione, vt *Eſt-il marié?* vel *Eſt-elle mariee?* tum

enim rectius, elegantius quidem certè, dicetur, *Eſtne maritus?* (vt Plautus etiam loquitur) itidémque *Eſtne marita?*

Quædam etiam ſunt quæ non quidem voce ſed ſignificatione ſaltem noſtris reſpondent: vt *Apertus* & *Tectus*, quũ de homine dicuntur, pro *Ouuert* & *Couuert*. nam memini reprehẽſum me fuiſſe quòd his vocabulis ſic vterer, quaſi non aliud quàm vernaculum ſermonem ſequens: quum tamẽ Ciceronis autoritate vſus hic nitatur.

In quibuſdã verò participiis voce actiua pro paſsiua Latinorum vtimur: veluti quũ pro *Reſtrictus* dicimus *Reſerrant*, ita loquẽtes, *C'eſt un homme reſerrant*: quaſi interpretaremur non *reſtrictus*, ſed *reſtringens*. Adeo vt pro his Ciceronis *Reſtrictus* & *tenax*, dicere poſsis *C'eſt un homme reſerrant & tenant*. Scio tamen dici etiã *Vn hõme reſtreint*, retinendo paſsiuã vocẽ *reſtrictus*.

Ad participia autẽ ſeu participialia nomina quòd attinet quæ in *ens* exeunt, non dubium eſt quin *Accident*, quũ dicimus *Vn accident*, ſit ex Latino *Accidens*: ſed numerũ ſingularẽ eà in ſignificatione inueniri non puto: ac ne *accidẽtia* quidem, licet inueniri docuerim, dicere auſim.

Sunt etiam quædam quibus quodammodo detracta eſt in ſermone noſtro ſua forma:

forma. veluti quum dicimus, *A mon eſcient*; pro Latino *Sciens*. vt *Ie ne l'ay pas faict à mon eſciēt*, pro his, *Non feci ſciens*.

De vocabulo autē *Accidētia*, vt nos dicimus *Des accidēs*, pro *Caſus*, dictū antea fuit.

In quibuſdam verò vtimur Latino participio .i. voce quæ ex participio Latino facta eſt, vel potius nomine participiali, vbi Latini nomine. veluti in voce *Ignorāt*, Nam pro *Il eſt ignorant de ces choſes*, dicunt *Ignarus eſt harum rerū*. aut certè, *Ignorat has res*. Nō deſunt qui & voce *Ignare* vtantur, præſertim ſine adiectione, pro indocto: ſed quàm Gallicè loquantur, alii viderint.

Inter Pronominis autem vſus qui in dubium vocari poſſent, in quibus noſtræ linguæ cum Latina conuenit, primum locum non immeritò (vt opinor) obtinebit is quem videmus in hoc Plauti loco, in Moſtellaria, *Quid hîc uos duæ agitis?* Nam *Vos duæ* ita dictum vt à nobis dicitur, *Vous deux*, non dubito quin plerique nouum & mirum futurum ſit. Legimus tamen & *Inter uos duos*, vt dicimus *Entre uous deux*, in Menæchmis eiuſdem,

Neſcio quid uos uelitati eſtis inter uos duos.

Quēadmodū autē hæc nominis quod numerale vocatur, ad pronomen adiunctio,

noua non paucis fuerit, ita etiã miraturos ſcio multos talis nominis ad vocem *omnes* adiectionem: de qua ideo dicendum obiter eſſe putaui. Sciendum eſt igitur, nos, vbi ita loquimur, *Tous trois luy auons cõmandé cela*, dubitaſſe me diu an Latinè dici poſſet, *Omnes tres hoc illi mandauimus*: itidémq; *Omnes tres hoc illi mandauerunt*, pro *Tous les trois luy ont commandé cela*: itidémque aliis quibuſlibet locis ſimilib⁹ an ita *omnes tres*, vel *omnes quatuor*, ſeu *omnes quinque*, eodémque in cæteris numeris modo dici poſſet. (plerunque autem in noſtro ſermone pronomẽ præfigimus, vt quum dicimus, *Nous auons faict cela tous trois*) tandem incidi in Martiani Capellæ locum in quo *omnes tres* ita dicit, ſcribens lib. 6, *Aut ἰσοσκελὲς, quod ex tribus lineis duas æquales habet, quibus qua ſi cruribus inſiſtit. denique æquicruriũ uocitatur. Aut σκαληνὸν, quod omnes tres lineas inter ſe inæquales habet.* Quum verò non eam eſſe huius ſcriptoris autoritatem ſcirem, qua fretus loqui ſic & ipſe poſſem, ideóq; ſublata mihi dubitatio non eſſet, tandem in quendã Fabii necnõ in quendam Varronis locum incidi. Sed Varronianũ quærere non vacat: Fabii autem eſt hic, libri 3, cap. 8, *Qui ex duobus legitimis alterum in adoptionem dederat, alterum abdicauerat, ſuſtu-*

lit nothum: inſtituto hærede abdicato deceſſit: omnes tres de bonis contendunt. Vt autem hic locus dubitationem mihi tãdem omnem exemit, ita & lectoribus vt eam tolleret, afferendum illũ cẽſui. Sed hoc addo, quẽadmodum à nobis pronomen interdum præfigi dixi, minimè videri poſſe in Latino ſermone præfigi.

An autem & *Nos alij* dicatur, ac *vos alij*, ſicut à nobis *Nous autres*, & *Vous autres*, à Græcis ἡμεῖς οἱ ἄλλοι, & ὑμεῖς οἱ ἄλλοι, quum interrogaſſem quendam in cõuiuio, protulit ſtatim, ad tollendam omnem dubitationem, hunc Virgilii verſum,

At nos hinc alij ſitientes ibimus Afros.

Ego, quum mappa riſum compeſcere (vt ille apud poetam ſatyricum) fruſtra conatus eſſem, tandem eius cauſam aperui, & poſt particulam *hinc* interpungendum eſſe dixi: quúmque ille vllam ibi interpũctionem poni ſolere negaſſet, At meã editionem (reſpondi) ſi conſules, eam inuenturus es: & totum locum conſiderare iuſsi,

At nos hinc, alij ſitientes ibimus Afros,
Pars Scythiã & rapidũ Cretæ ueniemus Oaxẽ.

Ac vocem *pars* pro *alij*, quod repetendum fuiſſet, poſitam eſſe oſtendi: perinde acſi quis ita loqueretur, Ex nobis alii Africam petent, alii Scythiam. Sed iam videndũ eſt

an aliud huius vſus pronominis exemplũ inueniri poſsit quod in illius ridiculi locũ ſubſtituatur. Ego certè & Græcam & Latinam linguam ita loqui ſcio: ſed exemplũ Græci vſus afferam, Latini afferendum alii relinquam. Ita igitur Plato in Protagora, pagina 341, meæ editionis, καὶ ὁ Πρωταγόρας, Πολλοῦ γε δεῖ, ἔφη, οὕτως ἔχειν, ὦ Πρόδικε. ἀλλ' ἐγὼ εὖ οἶδ' ὅτι καὶ Σιμωνίδης τὸ χαλεπὸν ἔλεγεν ὅπερ ἡμεῖς οἱ ἄλλοι, οὐ τὸ κακὸν, ἀλλ' ὃ ἂν μὴ ῥᾴδιον ᾖ, ἀλλὰ διὰ πολλῶν πραγμάτων γίγνηται. Quin autẽ eadem ratione dicatur ὑμεῖς οἱ ἄλλοι, nemini dubium eſſe poteſt: afferam tamẽ & horum quoque verborum exemplum, ex Euthydemo eiuſdem, pag. 283, εἰπέ μοι (ἔφη) ὦ Σώκρατές τε καὶ ὑμεῖς οἱ ἄλλοι, ὅσοι φατὲ ἐπιθυμεῖν τόνδε τὸν νεανίσκον σοφὸν γενέσθαι. Alicubi verò ordine hoc inuerſo (qui noſtro ſermoni ſicut & Latino, cum Græco communis eſt) dicit οἱ ἄλλοι ὑμεῖς, & οἱ ἄλλοι ἡμεῖς. vt in hoc eiuſdem dialogi loco, pag. 276, ἐνταῦθα δὴ καὶ πάνυ γε μέγα ἐγέλασάν τε καὶ ἐθορύβησαν οἱ ἐρασταὶ τοῖν ἀνδροῖν, ἀγασθέντες τῆς σοφίας αὐτοῖν· οἱ δ' ἄλλοι ἡμεῖς ἐκπεπληγμένοι ἐσιωπῶμεν.

Apud me, pro Domi meæ, eodem planè modo quo *Chez moy*, pro *En ma maiſon*, non minus Latinum eſt, quàm hoc eſt Gallicũ, ſi Plautus, Terentius, Cicero, & Horatius, ſatis Latinè loquuti eſſe dicendi ſunt.

Mihi, pro *Meo iudicio*, vt *A moy*, (quod eſt *mihi*) pro *A mon iugement*, Latinum pariter eſt. Sic Plautus, *Satis mihi pulchra es*, quod diceremus, *Tu es aſſez belle à moy.* vel, *Tu m'es aſſez belle*: pro *Satis pulchra es, meo iudicio, Satis pulchra mihi uideris.* Sic etiam Græci ſuo pronomine vſi eſſe comperiuntur. Sciẽdum eſt verò illud *Apud me* hanc etiam ſignificationem interdum habere. Eſſe autem eandem aliorum pronominis datiuorum rationem, ac *Tibi* viciſsim vſum illum habere, necnon *Nobis & Vobis*, item *Illi, Ei, Ipſi*, & horum plurales numeros, ſuperuacaneum fuerit (vt opinor) admonere.

Quinetiam *Meus* poſſeſsiuum pronomen vſum habet illum quem *Mien*, (quod eundem apud nos locum obtinet) quum dicimus *Il eſt tout mien*, pro *Illum poſſideo*: quo loquendi genere Ciceronem (ſicut & nos) vti, in ſuperioribus docui.

De uocabulis falsò ſuſpectis, ex eorum numero quæ grammatici partes indeclinabiles appellarunt. CAP. V.

ACTVRVS nunc de vocabulis falsò ſuſpectis, quibus inter partes indeclinabiles datus eſt à grammaticis locus, ab ea quã Præpoſitionẽ nominarunt, ſumam initiũ, quòd licet indeclinabilis, caſui iungatur.

Dico igitur in PRAEPOSITIONVM quoq; vſu quædã habere Latinũ ſermonẽ cum noſtris cõmunia, quæ tamen multis ſuſpecta futura ſint. Nã, vt incipiã à præpoſitione DE, quotuſquiſque De *die* & De *nocte*, pro noſtris De *iour* & De *nuict* admiſerit? At legimus tamen De *die*, in ea ſignificatione apud Plautũ, quinetiam apud Ciceronem: necnon De *nocte*. vſuſque ita eſt Horatius quoque in hoc nõ incelebri verſu, *Vt iugulent homines ſurgunt de nocte latrones.* Non minus autem nouũ fuerit quod apud comicum illum legimus, De *ſummo loco adoleſcens*, vt dicimus, De *grand lieu*, De *fort grãde maiſon*, vel *groſſe*. Eiuſdem eſt etiã, *Quid me de drachma facere uis?*

Cui ſimile eſt apud eundem, *De argento ma ter tua ſcit ut factum ſit*, ſicut nos dicimus, *Que feray-ie de ceſt argent?* Præterea in quibuſdam locis eſſe ſuſpecta poſsit hæc præpoſitio, quibus frequẽtius adhibetur prępoſitio *ex*: vt *Audiui hoc de parẽte meo*, apud Ciceronem pro *ex parente*. Tale eſt apud Plautũ, *Emi de illo*. Naſo quoq; ſæpe *de* pro *ex* ponit, & quidẽ cũ materiei etiã ablatiuo: vt *de duro eſt ultima ferro*, vt nos *Elle eſt de fer*. Alicubi *de* cũ ſuo ablatiuo, vbi alioqui genitiuus locũ haberet: vt *Memento de palla*, pro *pallæ*, Plaut. Et Naſo, *Iudex* (vel *Arbiter*, vt alibi) *de lite iocoſa*, pro Litis iocoſæ. Itẽ *Puellas de rupe Caucaſea*, pro Rupis Caucaſeæ. Cicero, *Et ſiqua ſunt de genere eodem*, (pro, *eiuſdem generis*, vt alibi loquitur) ſicut diceremus *D'autres de ce meſme genre*. vel *de ceſte ſorte*. Sic Horatius, *Cætera de genere hoc*. Sed Lucretii eſt hemiſtichium.

Item, vt dicimus, *Ie vous aime de cela*: ſic *Amo te de hac re*. vt *Rire de quelque choſe*, & *Pleurer de quelque choſe*, ita *Ridere de aliqua re* vel *Flere*, dicitur. Cicero ad Att. lib. 14, *De hæreſi Veſtorina & de Pherionum more Puteolano riſiſſe me ſatis, nihil eſt neceſſe reſcribere.* Non ignoro tamen eſſe etiã qui ibi verba iſta *de hæreſi*, &c. præcedentibus iun-

gant,hoc modo, *Itáque ioca tua plena facetiarum de hæreſi Veſtorina*,&c.Sed *Ridere* cũ accuſatiuo,irridendi ſignificationem vulgo habere ſcimus, quæ huic loco minimè conuenire poteſt. Apud eundem *Flere de morte alicuius* legimus Verrin.3, ſicut nos dicere ſolemus *De quoy pleurez-uous?* Sic autẽ *Mirari de aliqua re*,memini me legere: ſicut dicimus, *S'eſmerueiller de quelque choſe.*

Quinetiã *nihil iſtius* Terẽt.& Plaut.dicũt vt nos *Rien de cela*.veluti quũ italoquimur, *Ie ne feray rien de cela que uous me cõmandez.*

Addi poſsit & ille huius præpoſitionis vſus quem habet in Horatii loco paulo antè allato,--*quæ ſi ſemel uno De ſene guſtarit*.Nam *gouſter de quelque choſe*,Gallicum omnes eſſe ſciunt: at *guſtare de aliqua re*, multi vix Latinum eſſe putent.

Præpoſitio IN vſus itidem quoſdam habet ſimiles iis quos damus noſtræ EN,quæ illi reſpondet: vſus inquam eiuſmodi vt multis alioqui ſuſpecti eſſe,tanquam non ſatis Latini,poſsint.

In me eſt,vſitatum Latinis pro In poteſtate mea eſt:(quo ſenſu dicũt etiam *In manu mea eſt*)nos itidem præpoſitione noſtra necnon pronomine noſtro vtentes cum verbo ſubſtantiuo, dicimus *Il est en moy*, pro *Il eſt en ma puiſſance*, ſiue *Il eſt en mon pouuoir*.Græci quoque ita loquuntur, niſi

quòd præpoſitione ἐπὶ, potius quàm ἐν, vtuntur. dicunt enim ἐπ' ἐμοί ἐστι. Quinetiã huic loquendi generi, cuius idem eſt ſenſus, *In me ſitum eſt*, ſimile eſt iſtud Græcum (nam hoc quoque in gratiam ſtudioſorũ linguæ Græcæ eſt adiiciẽdum) κεῖται ἐν ἐμοί. ſed tã rarũ, quàm alterum illud, ἐπ' ἐμοί ἐστι, frequens eſt. Neque verò ignotum eſt iiſdem ὅσον ἐπ' ἐμοὶ ἐστὶ & ἔσται, ſimile ei quod dicunt Latini, *Quantum in me eſt*, & *Quantum in me erit*. nos autem hîc dicimus potius, *Autant qu'en moy eſt*, & *Autãt qu'ẽ moy a eſté*.

In ſpe eſſe dicunt Latini, & viciſsim *In metu eſſe* (illud apud Ciceronem, hoc apud Plautum & Terẽtium inuenitur) nos eodem modo *Eſtre en eſperãce*, & *Eſtre en crainte*. Quinetiã *Eſtre en quelque eſperance*, quod ſonat *In aliqua ſpe eſſe*. Necnõ *In dubio eſſe*, illi, vt nos *Eſtre en doute*. Itẽ, *In periculo eſſe*, vel *in diſcrimine*: vt dicimus, *Eſtre en danger*. Præterea *In gratia eſſe* ſic ab illis dicitur vt à nobis, *Eſtre en grace*. Cui ſimile eſt *In honore eſſe*, pro his noſtris *Eſtre en honneur*. Quinetiam *In fama eſſe* apud Tacitum planè reſpondet ei quod dicere ſolemus, *Eſtre en bruit*. Sic verò & Græci hîc quidem ἐν λόγοις εἶναι, illic verò ἐν τιμῇ εἶναι dicũt: vnde fecerunt ἔντιμος. Illo ἐν λόγοις εἶναι vtitur Xenophon. ſed & ἐν λόγῳ εἶναι alicubi memini me legere: at ἐν φήμῃ εἶναι, non item.

In breui dicere, tale eſt apud Fabium, qua le apud nos *Dire en bref.*

In priuato & *In publico*, apud Liuium, vt dicimus *En priué* & *En public.* Dicitur verò & *In ſecreto*, ab eodem hiſtorico, ſicut à nobis *En ſecret.* Legimus enim Decad. 3, lib. 5, *Nec iam in ſecreto modò atque intra parietes ac poſtes contemnebantur Romani ritus.* Afferam autẽ & aliud exemplum, quoniã multis nouam fore hanc loquendi formam ſcio. Legitur ergo eiuſdem decadis libro 6, *Nullo die prius ullam publicam priuatámue rem egit quàm in Capitolium iret, ingreſſúſque ædem conſideret, & plerunque tempus ſolus in ſecreto ibi tereret.* Vtitur tamẽ & aduerbio *Secretò.* Cæſar certè hoc potius quàm illo modo loquitur: imò verò ne ſemel quidem *In ſecreto* dixiſſe illum puto: præſertim quum ibi etiam vbi dicit *In occulto*, præcedat nòn *In ſecreto*, ſed aduerbiũ illud *Secretò*: De bell. Gall. lib. 1, *Petierúntque uti ſibi ſecretò & in occulto de ſua omniúmque ſalute cum eo agere liceret.* Apud Liuium autem animaduerti *In ſecreto* locis nonnullis adhibitum, quibus aduerbium *Secretò*, (quo alioqui vtitur, vt dixi) non tam aptè adhibiturus fuiſſe videtur.

In crepidis pro Crepidatus, & *In tunica* pro Tunicatus, quũ à Latinis dicitur, præ-

poſitio *in* tum quoque vſum habet qui illi cum noſtro *en* communis eſt: nec minus cum Græco ἐν (vnde eſt noſtrum *en*) vt docui in libello quo de ea quæ Gallicæ linguæ cum Græca eſt conuenientia diſſerui. Vbi mentionem cuiuſdam feci (parcens tamen eius nomini) qui quum audiiſſet *In tunica* pro tunicato dici, hunc Propertii verſum in exemplū tanquam ἕρμαιον quoddam arripuit,

Et miſer in tunica ſuſpicor eſſe uirum.

Exempla autem noſtri vſus venire cuilibet in mentem poſſunt, cuiuſmodi ſunt hæc, *Il y eſt uenu en pantoufles, Il y eſt uenu en pourpoint, Il y eſt uenu en chemiſe.* Vel, *Il eſtoit en pantoufles* &c. Sic *En robe de dueil, En robe de drap, En robe de uelours.*

Pro præpoſitio aliquos itidē vſus habet ex eorum numero qui in ſuſpicionē apud multos venire poſſunt. Eorū vnus eſt quū dicitur *Pro certo*, vt à nobis *Pour certain.* Inuenitur enim apud Ciceronem non ſolùm *Pro certo habere*, & *Pro certo putare*, & *Pro certo dicere*, & *Pro certo polliceri*; ſed etiam *Pro certo negare*. Ex quibus illud *Pro certo dicere*, Terentio cum Cicerone commune eſt: Salluſtius autem dicit itidem *Pro certo creditur*: Liuius, *Pro certo affirmare.*

Pro occiſo relictus eſt, ſiquis dicat, vt à nobis

dici ſolet *Il a eſté laiſſé pour mort*, næ multis ſuſpectum itidem fuerit: quum tamen Ciceronem hîc quoque autorem habeamus. Atq; vt hîc *Pro occiſo* perinde eſt acſi diceretur Tanquam occiſus, ſic vbi dicit Liuius *Fœdus habere pro rupto*: vt dicimus, *Tenir l'alliance pour rompue*. Quinetiam vbi dicitur *Pro certo habere*, exponi poteſt Tanquã certum. Legitur verò & *Pro facto habere* apud Ciceronem, vt dicimus *Tenir pour faict*.

Verbum pro uerbo reddere, ab eodem Cicerone dicitur, quo à nobis modo, *Rendre mot pour mot*.

Pro mea parte, non aliter quàm dicimus *Pour ma part* (ſicut & *De ma part*) apud eundem legitur.

Pro in ſignificatione quoq; Græcæ præpoſitionis ὑπὲρ, reſpondet noſtræ *Pour*, in quibuſdam etiam loquendi generibus quæ fortaſſe nonnulli ſuſpecta itidem habeant. vt *Pro me hoc eſt*, ſicut nos *Ceci eſt pour moy*, *Il fait pour moy*. quod ſonat *Pro me facit*.

Pecunia pro aſinis, quòd apud Plautum legitur, nòn minus quàm præcedentia ſibi locum hîc vendicat.

De aliis uocabulis falsò ſuſpectis, quæ ſunt itidem è partium indeclinabilium numero:

CAPVT VI.

INTER partes indeclinabiles ſunt etiã illæ quas grammatici Aduerbii, necnon quæ Coniunctionis & Interiectionis nomine vocarunt. Ego autem de illis potiſsimum vocabulis quæ ADVERBIA vocantur, hîc diſſeram: & latius etiam fortaſſe hanc appellationem extendam.

Quum autem quædam ſint Aduerbia quæ Latina quidem eſſe omnes fatentur, ſed an huic vel illi verbo iungi, aut alius quiſpiam vſus illis tribui ſatis Latinè poſſit, plerique dubitant: quædam verò quæ à Latinitate aliena falsò exiſtimãtur à multis: de illis prius quàm de his verba faciam: & quidem incipiens ab eo vſu quem Plautus Aduerbio FORTITER tribuit. Nam quin *Fortiter* Latinum ſit, atque adeò Romanum, nemini dubium eſt, & quin variis verbis iungi poſsit, pro eo quod dicimus *Vaillamment*, vel *Vertueuſement*, aut *Virilemẽt*: ſiue *Courageuſement*, aut *De grand courage*: at

verò pro eo quod dicimus *Lier fort*, *Serrer fort*, poſſe cum bona Latinitatis venia dici *Adſtringere fortiter*, quamplurimos eſſe ſcio quibus perſuadere non poſsim, niſi eos in rem præſentẽ duxero. Ecce igitur, ex Plauti Bacchidibus, Actus 4, ſcena 7,— *abducite hunc Intro, atque adſtringite ad columnã fortiter.* Neque enim dixerit quiſpiã (vt opinor) aliud hîc eſſe *Adſtringite ad columnã fortiter* quàm *Liez-le fort au pilier*, vel *bien fort.* Aut, *Attachez-le au pilier, & le ſerrez biẽ fort.*

Sic QVASI eſſe Latinum nemo neget, ſed Latine dici *Hora erat quaſi ſeptima*: vt à nobis *Il eſtoit quaſi ſept heures*, vix decimus quiſque fateatur. Quamplurimos enim eſſe ſcio qui ita loquentes, Latino illo aduerbio, non vti ſed abuti exiſtiment, lingua vernacula in errorem eos impellẽte. At ecce tamen talem Terentii quoque vſum, *Quaſi talenta ad quindecim coegi.* Poſſe verò nos & *Quaſi talenta quindecim* dicere, abſq; illa præpoſitione *ad*, alii aliorum loci (& quidam etiam eius fortaſſe) oſtendent.

Quod autem ad alterum aduerbii *Quaſi* vſum attinet, quo ſimilitudinem indicat, in noſtro ſermone familiari ſæpe auditur *Quaſi uerò*. veluti quum ita loquimur, *Il dit que par ce moyen il ſe fera cognoiſtre: quaſi uero on ne le cognoiſſoit pas aſſez.* Hæc tamen verba *quaſi uerò* ita vulgus vſurpat vt quæ

nihil minus ſint quàm Latina. Sed potius in ſermone familiari (vti dixi) quàm alibi, voces illæ locum habent:ſicut & hæ *Quaſi dicat* in eo ſæpe,tãquã Gallicæ, audiuntur.

PLVS, ſicut & *Quaſi*, nobis planè intactum manſit:& fateor quidem paucos eſſe qui *Plus* Latinè quoq; dici non ſint recordaturi, ſed non paucos qui de certis locis quibus ipſum adhibemus ſint dubitaturi, an eodẽ Latini modo ſuum *Plus* illis adhiberent:ideóque varia vſus illius exempla proferam.Cic. ad Atticum, *Tãtum & plus ipſe mihi deberet*, vt dicimus *Autant & plus*. Itidẽ hæc, *Dies viginti aut plus ibi ſum cõmoratus*, poſsis interpretari iſtis, *I'ay demeuré là vint iours ou plus*. Terentius tamen addidit ablatiuum *eo*,hoc in loco, *Dies triginta aut plus eo in naui fui*.Et cum verbis, vt *Proficit plus ad miſericordiã*, apud Ciceronem, *Cela profite plus*,vel *ſert plus,pour obtenir miſericorde*.Cum ablatiuo, *Dimidio plus*, pro *La moitié plus*.Item *Paulo plus*,& *Multo plus*,pro noſtris,*Vn peu plus*, & *Beaucoup plus*. Cum genitiuo,*Plus diuitiarum*:vt dicimus, *Plus de richeſſes*. nã particula *de* facit vt *richeſſes* ſit genitiui itidem caſus.Sic *Plus ſapientiæ* Plauto, *Plus de ſageſſe*. Sed animaduertendum eſt vocem *Plus* conſtructionem nominis in huiuſmodi locis potius quàm in aliis

retinere: nos autem eãdem illi in ſermone noſtro dare, etiam vbi Latinus eandem illi non tribuit, ſicut nec vſum eundem habet. Sic pro *Plus anno* apud Ciceronem, dicemus *Plus d'un an.* Eodémque modo vbi dicit, *Plus annum obtinere prouinciam.* Plautus illo ablatiuo eadem in re vtens dixit *Plus decem annis*, & *plus uiginti*, in Bacchid.

Hunc ſi ullus deus amaret, plus annis decem,
Plus iam uiginti, mortuum eſſe oportuit.

In quo exemplo obſeruandum & hoc eſt, *Plus annis decẽ & uiginti* dici, pro *Plus quàm ab annis decem & uiginti.* Illi autem cõſtructioni *Plus annum* ſimiles ſæpe occurrunt apud Liuium & alios hiſtoricos, vbi *Plus mille paſſus* dicit, & *Plus mille homines.* Quibus ſimile eſt apud Terẽtium in Adelphis, *Plus quingentos colaphos infregit mihi.* Quinetiam nominatiuus interdum ſubiungitur, vt *Plus decem millia capta*, apud Liuium. Obſeruandum eſt autem, vbique *plus* pro *plus quàm* poni, præterquam vbi genitiuo iungitur: veluti quum *plus diuitiarum*, & *plus uirium*, & *plus ſapientiæ* dicitur. nos autẽ ſicut hîc noſtro *plus* particulam *de* ſubiungimus (quæ ad genitiuum exprimendum à nobis adhiberi ſolet) ita etiam in aliis locis, vbi aliis caſibus iungitur, licet minimè idem ſit illic quoq; huius aduerbii vſus, vti dixi.

Quinetiam

Quin etiam vbi geminant Latini ſuum aduerbium *Plus*, nos itidem noſtrũ geminamus. Exempli gratia, vbi dicit Naſo,

Sic quibus intumuit ſuffuſa uenter ab unda,
Quo plus ſunt potæ plus ſitiuntur aquæ.

nos itidem dicemus,

Plus on en boit, plus la ſoif en ueut boire.

vel, *Tant plus on en boit, tant plus*, &c. Sic etiam *Plus plúſque* apud Ciceronem (vbi dicit *Quem plus plúſque in dies diligo*) vt dicitur à nobis *De plus en plus*. Sed & *Plus ou moins* tale eſt in ſermone noſtro, quale in illo *Plus uel minus*, ſiue *Plus minúſue*. Atque vt ſæpe etiã non interiecta copula dicunt *Plus minus*, ſic nos interdum, *Plus, moins*.

Ex aduerbiis quæ intacta in noſtro ſermone manſiſſe dixi, eſt GRATIS: quod licet vix vllus Latinũ eſſe ignoret, multis tamẽ velut ſcrupulus iniicitur nõnullis in locis, & Latinum *gratis* adhibere illis non audent, ſicut Gallicum adhibent. Eſt tamẽ non Latinum dũtaxat, ſed Ciceronianum etiam, hoc aduerbium.

Aduerbiũ BENE ex iis eſt quæ multi in certis quibuſdã ſignificationibus falsò barbariei inſimulant. Atqui ſi barbarè loquor quum dico, *Literæ bene lõgæ*, pro *Des lettres bien longues*: loquutus eſt barbarè Cicero. apud eum enim legimus, ad Atticum lib.

14, A *Cicerone mihi literæ ſanè* πεπινωμέναι, & *bene longæ*. vbi *bene longæ* nemo interpretari aliter poſsit *quàm bien longues*, in quamcunq; partẽ verba illa vertat. At pro πεπινωμέναι miror locum alteri etiam lectioni datum in quibuſdam editionibus fuiſſe πεπυκνωμέναι: quinetiam miror (vt hoc quoque obiter addam) illud πεπινωμέναι expoſitum fuiſſe Elegãtes: quum potius ſint quas Dionyſius Halicarnaſſeus vocaret ἀρχαιοπινεῖς, ſiue αἷς ὁ τῆς ἀρχαιότητος πίνος ἐπιτρέχει, vel ἐπανθεῖ. Sed illi exemplo poſſumus & aliud addere ex eodem Cicerone, quum dicat eodem modo, De orat. lib. 2, *Habetis ſermonem bene longum, hominis utinam non impudentis, illud quidem certè, non nimis uerecundi.*

Sic autem iungi *Bene* aliis etiam nonnullis adiectiuis ſciendum eſt. Nam *Bene magnam cateruã* ab eodem dictum eſt, orat. Pro Murena, *Poſthumius obuiam cum bene magna caterua ſua uenit*. Et Aſinius Pollio in vna ex ſuis ad eum epiſtolis *bene multos* dixit. *Sed habere equitatum ac legiones ſub ſignis armatas tres, & P. Vageni unam, inermes bene multos.* Apud Ciceronem legimus etiam *Bene robuſtus*, Verr. I, *In clamando quidẽ uideo eum eſſe bene robuſtum atque exercitatum.* vt nos diceremus *Bien robuſte*. Sic verò & *Bene fortis* me legere alicubi memini, in ea ſigni-

ficatione qua transfertur ad animum. Dixit certè idem & *Bene firmum*. Inuenitur apud eum & *Bene peritus*, cui ſimile eſt *Bene doctus* apud Plautum: necnon (ſi bene memini) apud illum ipſum. Horatium autẽ *bene nummatum* dixiſſe multi recordari poſſunt: ſed & ipſe Cicero ita loquutus eſt.

Fortaſſe autem aduerbio *mane* iunctum hoc aduerbium magis miretur quiſpiam, & ab eodem Cicerone ita dictum eſſe *bene mane*, vt à nobis dicitur *bien matin*, vix perſuadere ſibi poſſit, ideóque non vnius loci teſtimonio contentus ero. Scribit igitur ad Atticum, lib. 4, *Ante diem quartum calendas Maij iens in Pompeianum bene mane hæc ſcripſi.* Et in lib. De oratore, *Quum ei qui rogaſſet num tibi moleſtus futurus eſſet ſi ad te bene mane ueniſſet.*

Neque verò in illa tantùm ſignificatione, & cum eiuſmodi nominibus vel aduerbiis, reſpondet noſtrum aduerbiũ *Bien* Latino *Bene*, ſed etiam in ea quam habet quibuſdam participiis & verbis iunctum. Nã *Bene comitatus* Ciceroni eſt quod dicimus *Bien accõpagné*. Et *Bene factum* apud Plautũ & Terentium poſſumus alicubi interpretari *C'eſt bien faict*. quod alioqui eſſet interpretandum, *Voila qui va bien*. Quinetiam quod dicimus *Vn hõme bien né*, fortaſſe dici

poſsit *Homo bene natus*. Malè enim (meo qui dē iudicio) in hoc loco Horatii, lib. Carm. 4, *Vtcunque defecere mores*, *Dedecorant bene nata culpæ*, quidam *bene nata* ad generis nobilitatem retulerunt, & expoſuerunt *Honeſto loco nata*: quum ea quæ apud poetam præcedunt indicare videantur illud ab eo latius extendi, ita vt perinde ſit acſi dixiſſet, *Quæ quandam naturæ bonitatem erant nacta*: vt explicaui in ſcholiis margini editionis meæ appoſitis. Nā ſicut non ignoro, quod à Græcis dicitur εὖ γεγονὼς (ſatis autem notum eſt Horatium lubenter Græca loquēdi genera ſuis repræſentare) de illo dici qui natalibus ſit clarus, ita memini me legere de illo dictū qui ea quam vocant εὐφυΐαν præditus eſſet. At καλῶς γεγονὼς illam tātùm priorem ſignificationem fortaſsis habet.

Quod autem dixi iungi etiā quibuſdam verbis Latinū *Bene* eo modo quo noſtrum *Bien*, id exemplis quæ duorum ſunt generū confirmabo. Nam quum dicitur *Bene uelle alicui*, ſicut à nobis *Vouloir bien à quelcun* (vnde factū eſt *Bienueillāce*, ſicut à Latinis *Beneuolētia*, ex *Bene uolo*) tū certè vſum nominis *bonum* habet: quum *Bene uelle alicui* perinde ſit acſi diceretur *Bonum* vel *bona uelle alicui*: (ſicut *Bene cupere alicui*, non aliud eſt quàm *Bonum cupere alicui*, vel *bona*) at verò in hoc

verſu, *Quum bene iuraui, pes tamen ipſe redit*, longè alius eſt huius aduerbii vſus, & tamē omnino idem cum eo quem noſtra lingua eadem in re verbo illi daret. Sed totum locum afferam, vt lector verum eſſe quod dico de quodam vſu huius aduerbii valde miro (& quidē eiuſmodi vt alioqui ex Gallici ſermonis imitatione ſumptum iudicaturus ſit) perſpiciat. Dico igitur legi hos verſus apud Tibullum, lib. 2, elegia vltima,

Magna loquor, ſed magnificè mihi magna loquuto
Excutiunt clauſæ fortia uerba fores.
Iuraui quoties rediturū ad limina nunquam?
Quum bene iuraui, pes tamen ipſe redit.

Quotuſquiſque (obſecro) ſi hunc verſum, *Quum bene iuraui, pes tamen ipſe redit*, ab vno ex veteribus poetis ſcriptum ignoraret, Gallum quempiam eum ſcripſiſſe, & talem aduerbii *bene* vſum illi ex imitatione ſuæ linguæ excidiſſe non iuraret? Nimirum enim iſtud eo planè dictum eſt modo quo diceretur à nobis, *I'ay iuré ſouuent que ie n'y retournerois point: mais quād i'ay bien iuré, encore ne me puis-ie garder d'y retourner.* Sic verò & Naſo vſus eſt in hoc loco libri de Triſtibus 5,

Quanuis interdum quæ me læſiſſe recordor,
Carmina deuoueo, Pieridéſque meas.

Quũ bene deuoui, nequeo tamen eſſe ſine illis,
Vulneribúſque meis tela cruenta ſequor.

Non magis ſimile ouũ ouo eſſe quàm ſimiles ſint duo iſti duorum poetarũ loci(quod ad vſum aduerbii *bene* attinet)mecũ fatebitur quicunq; illos cõſiderabit:minorẽ autẽ non eſſe inter illud Latinum *bene* & Gallicum *bien*, in hoc quoq; vſu, ſimilitudinem, minimè negabit quiſquis noſtræ linguæ, ſicut Latinæ, peritus erit. Poterit autem locis illis addi & hic,

Quum bene uir traxit uultum, rugáſq; coegit,
Quod uoluit fieri blanda puella, facit.

Sed vtrum his etiam in locis aduerbiũ *bene* ſignificare *ualde* dicemus? Aliqua certè illius aduerbii *ualde* ſignificatio huic *bene* ineſſe his in locis videri poteſt, ſed ita vt admixtam illi eſſe aliam quæ mente percipi magis quàm vllis verbis exprimi queat, dicendum etiam ſit. Videndum autem an idem de hoc etiam loco ſentire oporteat,

Vt iam ſeruaris bene corpus, adultera mẽs eſt:
Nec cuſtodiri, ni uelit, ulla poteſt.

Perinde eſt autem acſi diceret, mens tamẽ adultera eſt: ſicut alibi,

Quum bene uitaris, tamen auferet.

Alicubi autem hoc aduerbium vtrique orationis membro adhibet: vt hîc,

Multa diúque tuli: ſperaui ſæpe futurum,

Quum bene ſeruaſſes, ut bene uerba darē. Videtur certè poſteriore loco aliū quàm priore vſum habere iſtud aduerbium: ſic tamen vt vtrique adhiberi noſtrum poſsit: hoc modo, I'*ay eu eſperance qu'un iour, quād tu l'aurois bien gardee, encore te tromperois-ie bien.* Hac autem periphraſi, aut huiuſmod poſsit fortaſſe quiſpiā ſignificationē illius vtcunque repræſentare, Speraui futurum vt quū eam quàm potuiſſes diligentiſsimè ſeruaſſes, ego tamē rationem aliquam tui fallendi inuenire poſſem. At verò illum verſum, *Vt iā ſeruaris bene corpus, adultera mens eſt,* ita explicare poſſumus vt aduerbium noſtrū diuerſè collocemus: vel, *Quād tu auras bien gardé le corps, l'eſprit eſt adultere:* vel, *Quand bien tu auras gardé le corps,* &c. Vidēdum an poſsimus hac etiā periphraſi vim particulæ illius vtcunque aſſequi, Quū ad ſeruandū corpus omne ſtudiū adhibueris, & quidē tandē ſeruaris. Erunt tamē fortaſſe qui ibi vacare potius exiſtimabunt, & tantùm ad ornatum poni: itidémque in illo verſu, *Quum bene uitaris, tamen auferet.*

Apud eundē poetam legitur *Bene promittere,* necnon apud Ciceronem & Plautum: ſed non eodem ſenſu. Ac primùm expendēdum an quod apud hunc comicum legitur in Pœnulo,

Bene promuttis multa ex multis, omnia in caſſum cadunt,

ea ſermonis forma dictum ſit qua diceretur à nobis, *Tu promets bien, mais toutes tes promeſſes uiennent à neant.* Ad me quidẽ certè quod attinet, nihil video quod obſtet quominus ita de illo comici loco ſentiamus. ſed in hoc Naſonis loco, qui eſt libro 3, De arte,

Si bene promittent, totidem promittite uerbis.

quum dicatur *Bene promittere* ſine adiectione, videtur id eſſe quod dicere ſolemus *Faire de belles promeſſes*, vel, *des belles promeſſes.* Tertius autem locus, qui Ciceronis eſt, tertiam fortaſſe quandam interpretationem poſcere alicui videbitur. eſt autẽ hic, De diuin. lib. 2, *Quæ autem inconſtantia deorũ eſt, ut primis minentur extis, bene promittant ſecundis?* Sed non video quid obſtet quominus huic etiam loco illam Gallicam interpretationem tribuamus: atque ita opponamus *Menacer* & *Faire de belles promeſſes*, vt ille *Minari* & *Bene promittere* oppoſuit: præſertim quum exagitari quodammodo promiſſa illa, ſicut & minas, videamus. Alii autem loco alia quæpiam fortaſſe interpretatio inuenienda fuerit, quę tamen iſti minimè abſimilem ſenſum habeat.

Sunt & alii huius aduerbii vſus, in quibus

non minor illi cum noſtro eſt conuenientia, à me obſeruati: ſed in eorum memoriã in hac extemporanea & tumultuaria ſcriptione redire non poſſum. Quoniã verò hanc particulam otioſam etiam fortaſſe viſum iri dixi in quibuſdam ex iis locis quos attuli, afferam quoddam loquendi genus vbi certius talis pleonaſmi exemplum eſſe videtur. Aptiſsimum certè vel eo nomine erit quòd in noſtra lingua idem cum eodẽ (id eſt, eiuſdem ſignificationis) verbo pleonaſmus ſpectetur. Nam vt à nobis dicitur *Il ſcait bien*, pro *Il ſcait*, ita dixiſſe Naſonem exiſtimo *Sait bene* pro *Sait*, in hoc loco primi De arte libri,

Scit bene uenator, ceruis ubi retia tendat,
Scit bene qua frendens ualle moretur aper.

eodémque modo hîc,

Scit bene quid gramen, quid torto concita rhombo
Licia, quid ualeat uirus amantis equæ.

itidémque in iſto libri primi Triſtium loco,

Scis bene cui dicam, poſitis pro nomine ſignis.

Vt autem hîc quoque aliquid in gratiam ſtudioſorum Græcæ linguæ addam, in ea εὖ οἶδα eodem planè genere pleonaſmi dici mihi videtur: quum εὖ omnino Latino *bene*, ideóque & noſtro *bien*, reſpondeat.

Quid?an & vbi dicunt Latini, *Si bene te no-m*, vacare hoc aduerbium exiſtimas? rôget aliquis. Imò verò vbi ſcribit idem poeta,

Tum quoque non paucos (ſi te bene nouimus) vres:

necnon vbi Horatius,

Si bene te noui, metues, liberrime Lolli,
Scurrantis ſpeciē præbere, profeſſus amicū,

nequaquam vacare, & ornatus tantùm cauſa poſitam eſſe hanc particulam, ſed contrà valde ſignificantem eſſe dixerim: idémque & de aliis eiuſmodi locis meum eſſe iudicium, lectorem ſibi perſuadere velim. Sed vbi Propertius dicit, *nam bene noſtis eū*, quæri poteſt, hócne an illud de hoc aduerbio iudicãdum ſit. Locū tamē afferre contentus, ipſos lectores (eos quidem certè qui aliquid iudicii ad huiuſmodi quæſtiones afferre poterunt) iudices ſiſtam. Is eſt lib. 2, elegia 29, vel 30,

Sed nudi fuerant: quorum laſciuior vnus,
Arripite hunc, inquit. nā bene noſtis eum.
Hic erat, hunc mulier nobis irata reliquit.

Atque huic loco iſte Naſonis addi poteſt,

Nos quoque amicitiæ nomen bene nouimus hoſpes.

Quanuis autem nomē *peritus*, ſignificationem eiuſdem generis habeat, tamen aduerbium hoc *bene* illi præfixum pro *valde* poni

conſtat, cùm alibi, tum in hoc Ciceronis De claris orat. loco, *Et tenuit cum hoc locum quendam etiam Ser. Fuluius, & unà Ser. Fabius Pictor, & iuris & literarum & antiquitatis bene peritus.* Neque enim dubitaturum quenquam puto, quin illa ſit hoc in loco aduerbii iſtius ſignificatio: itidémq; de cæteris locis, quibus ſuprà ſignificationẽ hãc dedi, neminem mihi refragaturũ arbitror: ſed addam aliquot ex Naſone, in quibus lubenter quidem particulam eandem ſecus exponerem, ſed nullam aptiorẽ inuenio. Ex illis eſt hic in epiſtola Helenæ ad Paridem,

Quòd bene te iactas & fortia facta recenſes,
A uerbis facies diſſidet iſta tuis.

Necnon iſte,

Quũ bene ſæuierit, quũ certa uidebitur hoſtis.

Quinetiam hic,

Quum bene pertæſum eſt, animiq; reuanuit ardor,
Neſcio quo miſeræ turbine mentis agor.

Iſte præterea,

Quum bene laudauit, laudato ianua clauſa eſt.

Poſsítque fortaſsis & hic addẽdus uideri,

Quũ bene ſe quantúmq; uolet ſatiauerit ira.

Ad illam autem ſignificationem qua pro *ualde* ponitur, exiſtimo poſſe referri (tan-

quam ſpeciem ad genus) eam quam habet vbi dicit,

Non bene, ſi tollas prælia, durat amor.

Nam *bene* hîc pro Longùm ſiue Diu accipi arbitror:& noſtrum *bien* vix locum hîc quoque inuenturum eſſe fateor. At verò Metamorph.3, vbi ſcribit idem poeta,

At bene ſi quæras, fortunæ crimen in illo
Non ſcelus inuenies,

non minus quàm in tot præcedentibus locis Latino aduerbio Gallicum reſpondere dico, ſiue hoc *bene* aduerbio Diligenter, ſiue alio quopiam eiuſmodi exponamus.

Alii ſunt præterea vſus huius aduerbii *bene*, ex quibus vnum duntaxat afferam, *Bene emere* pro *Carè emere*, ex Martiali. Nos itidem dicimus, *Ie l'ay bien acheté*, pro *Carè emi*. Apud Ciceronem *Melius emptum*, itidẽ pro *Carius emptum* legitur.

Oppoſiti illi aduerbii MALE reperiemus itidem nonnullos vſus valde raros, & qui ſuſpecti eſſe quamplurimis poſſent, in quibus noſtræ linguæ cum Latina (id eſt, noſtro *Mal*, cum illorum *Malè*) conuenit. Nam *Malè ueſtitus* dicit Cicero, vt nos *Mal ueſtu*, pro *Pourement ueſtu*. Sic Plautus *Malè uiuere*, pro *Viure pourement*. An autem *Malè uiuere* dici poſsit in ea etiam ſignificatione quam vulgò damus hiſce verbis *Viure mal*,

(nam minus tritus eſt vſus iſte verborum *Viure mal*, pro *Viure pourement*) multos hîc cogitaturos eſſe ſcio. Ego de hoc ſaltem monebo, non eſſe Horatii locum aliter intelligendum quàm Plautinum: Sat. 4, lib. 2,

Nonne uides Albi ut malè uiuat filius, útque
Barrus inops? Subiungit enim,
—magnum documentum ne patriam rem
Perdere quis uelit.

Apud eundem illum comicum eſt *Malè nupta*, pro noſtro *Mal-mariee*. Sic *Mal-diſné* vel *Mau-diſné* dicetur *Malè pranſus*: itidémque *Mal-ſouppé* vel *Mau-ſouppé*, erit *Malè cœnatus*. Necnon *Malè paratus* idē ſonabit quod nobis *Mal-preſt*. Quinetiam nominibus adiectiuis iungi poteſt quæ reſpondent iis quibuſcum noſtrum *mal* componimus, & quidem ita vt eandem quam apud illos ſignificationem habeat. Talia enim fuerint apud Latinos, *Malè cautus*, *Malè prudens*, *Malè prouidus*, qualia in noſtro ſermone, *Mal-aduiſé*, *Mal-ſage*, *Mal-pouruoyant*. Eodémq; modo aliis pleriſque adiectiuis iungi poſſe videtur hoc aduerbium, quibus noſtra eiuſdem formæ compoſita exprimantur. veluti ſi pro *Mal-gratieux* vel *Mau-gratieux* dicatur *Malè comis*: & pro *Mau-ſade* (vbi noſtrum aduerbium iungitur adiectiuo *ſade*,

cuius maximus fuit maioribus noſtris vſus) dicamus *Malè uenuſtus*, vel *Malè ſcitus*. Denique *Malè gnauus* ſit pro noſtro *Mal-hardi*, & *Malè habilis* (ſi fatendum ſit *habilis* alicubi reſpondere noſtro *habile*) in ſignificatione noſtri *Mal-habile* locum inueniat. Sed quid attinet (dicet fortaſſe quiſpiam) an his aliiſque huiuſmodi compoſitis vti poſſimus, diſceptare, quum pleraque ex noſtris quæ ſunt huius formæ, atque adeò illa ipſa quæ hîc propoſita fuerunt, exprimere liceat Latinis quib⁹ priuatiua particula *in* præfixa eſt? Ego verò *Inhabilis*, *Ignauus*, *Inſcitus*, *Inuenuſtus* à Latinis dici non ſum neſcius: quinetiã *Incautus*, *Improuidus*, itidémq; alia. Sed primùm quidem maiorem quandam illorum pleriſq; quàm horum gratiam ineſſe, deinde ne reſpondere quidem ſemper hæc illis noſtris dico: quum noſtrum *mal* in nonnullis planè non neget, aut certè mollius quodammodo negare dici poſſit. Adde quòd in exprimendis nonnullis huius generis hærendum nobis eſſet: vt in illo *Mau-gratieux*. nã etiamſi pro *Mau-ſade*, non *Malè uenuſtus*, aut *Malè ſcitus*, ſed *Inuenuſtus* aut *Inſcitus* dicamus, non tamen *Incomis* pro *Male comis* dicere audebimus, ad exprimendum illud *Mau-gratieux*. Sic pro *Mal-ſeur*, non dubito quin multi *Malè tutum* potius ad-

miſſuri ſint, quàm *Intutum*, quod tamen ex Plinio affertur. Liuius autem *intutam urbem* dixit quam nulli tuerētur: quam etiam *incuſtoditam* appellare liceat. Multo etiam minus eiuſmodi Latina compoſita, quibus illa priuatiua particula præfixa eſt, apta eſſe poſſunt interpretationi earum vocum Gallicarum quæ ſunt ex illo aduerbio & participio compoſitæ. Nam (exempli gratia) ſiquis pro *Mal-accompagné* non dicat *Malè comitatus*, ſed *Incomitatus*, ſi pro *Mal-diſné* vel *Mau-diſné* non dicat *Malè pranſus*, ſed *Impranſus*, valde errabit.

Animaduertendum eſt inſuper, quædam eſſe quæ conuerti poſſe videantur, etiamſi nulla exempla inuenirentur. Nam (vt ab eo ſumam initium cui primus datus fuit locus) ſi rectè dicitur *Malè ueſtitus* pro *Mal-ueſtu*, quídni & *Bene ueſtitus*, vice verſa, pro *Biē ueſtu*, rectè dici putabimus? Si *Malè nupta* dicatur eſſe quæpiam, cur non & *Bene nupta* quæpiam eſſe dicetur? Eodémque modo quum *Bene comitatus* dixerit Cicero pro *Bien accompagné*, næ fuerit ille ridiculè religioſus qui pro *Mal-accompagné* dicere non audebit *Malè comitatus*, ſed expectabit donec apud quempiam bene Latinum ſcriptorē illud inuenerit. Eodémq; modo ſi hæc Gallica *Bien-né* reddi poſſunt his Latinis *Bene natus* (vt certè reddi poſſe oſtendi, ex Ho-

ratii loco: cui & quędam Varronis addere licet) ineptum meo quidem iudicio fuerit dubitare an dici queat itidem *Malè natus*, etiamſi quis Horatium *malè natos uerſus* dixiſſe ignoret. Eadem verò de hoc aduerbio quibuſdam verbis iungendo cõtrouerſia eſſe poſsit. exempli gratia, ſiquis dubitet an vt dicitur *Bene uelle alicui*, pro *Vouloir bien à quelcun*, ita ętiam viciſsim *Malè uelle* dicere concedatur pro *Vouloir mal:* quanuis alioqui de *Maleuolus*, necnon *Maleuolens* apud Plautum, pro *Malueillant*, itidémque de *Maleuolentia* pro *Malueillance*, nihilo magis quàm de *Beneuolus* & *Beneuolens* apud eundem comicum, pro *Bienueillant* & de *Beneuolentia* pro *Bienueillance*, ambigi poſsit.

Alia autem oriri hîc quæſtio poſsit, an adiectiuis quæ in vna ſignificatione præfixum habent hoc aduerbium, præfigi in altera quoque poſsit. Exempli gratia, quum vbi dicitur *malè ſanus*, in adiectiuo *ſanus* vulgò ad ſanitatem mentis reſpiciatur: an liceat nihilominus de corporis quoque ſanitate iiſdem verbis vti. Sic etiam quũ *Malè gratus* videamus dici pro *Ingratus*, nobis *Ingrat*, id eſt beneficiorum immemor (vt *malè gratus Iaſon* apud Naſonem dicitur) an etiam pro *Iniucundo*, nobis *Mal-plaiſant*,

ſiue

ſiue *Mau-plaiſant* verbis illis vti liceat. Ego ſanè magnâ hîc adhibendam eſſe cautionẽ dico, & quanuis prius illud *malè ſanus* ad alterã illam ſignificationem extendere nobis permittat exemplo ſuo Naſo (vbi canit,

Vulnus in antiquũ rediit malè ſana cicatrix) eadem in hoc poſteriori libertate timidè vſurum me fateor. Vt omittam, aliquã poſſe de illo priore eſſe controuerſiam: quòd in nonnullis exemplaribus *malè firma*, non *malè ſana*, legatur. Talis de hoc etiã loquendi genere *Malè audire* dubitatio eſſe poteſt: quum vulgò paſsiuè ponatur, pro eo quod dicimus *Auoir mauuais bruit*, vel, *Eſtre en mauuaiſe reputation* (ſicut à Græcis κακῶς ἀκούειν) an etiam pro Non acuto auditu præditum eſſe, vſurpari queat. Eadem verò fuerit ratio & illius quod ei oppoſitum eſt, *Bene audire*: pro quo Græci dicunt itidem εὖ ἀκούειν, *Auoir bon bruit*, vel *Eſtre en bõne reputation*.

Quum iam finem dicendi de hoc aduerbio facturus eſſem, recordatus ſum cuiuſdã vſus quem conſiderandum tibi proponere volui: quoniam in eo (quod certè mirum videbitur) duo contraria aduerbia, *Malè* & *Bene*, non contrariam ſed eandem omnino ſignificationem habent. nam vt oſtendi *Bene* pro Valde quibuſdam in locis poni, ſic

etiam *Malè* ſignificationem hanc obtinere ſciendum eſt, quibuſdam verbis præfixum: veluti quum dicitur à Plauto *Malè formidare*, & *Malè timere*. (Terentius autem dixit etiam *Malè metuere alicui*.) Eſt certè *Malè formido*, ſeu *timeo*, quod Homerus non vno loco dicit αἰνῶς δείδοικα. Memini autem & κακῶς δεδιέναι me legere. Quinetiam κακῶς cũ verbo πεινᾶν, eadem ſignificatione: vt nos non tantùm dicimus *Ie meurs de faim*, ſed etiam *Ie meurs de male faim*: ſi quidem vehementiam iſto adiectiuo hîc indicari exiſtimemus.

ALIA quoque ſunt aduerbia non pauca, quæ quũ omnes Latina eſſe fateantur, tãtùm de certo quodã eorum vſu dubitãt. Exempli gratia, an quo à nobis dicitur modo *Faire ſagement*, & *Faire folement*, eodem Latinè dici poſsit, *Facere prudenter* (vel *ſapienter*, cum Plauto) & *Facere ſtultè*. Sic etiã *Loqui prudenter*, vel *ſapienter*: & *Loqui ſtultè*. Quidam verò etiamſi Latinorum ſcriptorũ autoritate confirmari phraſes illas videant, tamen illarũ exẽplo vereãtur dicere, *Aſtutè facere*, ſeu *iniquè*, vel *perfidè*, vel *auarè facere*.

Repudiabit itidẽ vulgus *Scire Latinè* & *Scire Græcè*, pro eo quod dicimus *Eſtre ſcauant en Latin*, & *Eſtre ſcauant en Grec*. neque vulgo ſolùm ſed nonnullis etiam eorum

qui in vulgo habendi non ſunt, ſuſpectus hic aduerbii vſus fuerit: at Ciceronem tamen autorem habet.

Nec minus ſuſpecta fuerint pleraque alia aduerbia, iiſdem verbis iuncta quibus nos illa (id eſt, quæ illis ſignificatione reſpondẽt) iungimus. Ex his eſt *Amplius* cũ verbo *uis*, quum dicitur, *Quid amplius uis?* Vt Gallicè, *Que uoulez-uous dauantage?* Multi enim hanc ſermonis formam ex Gallici ſermonis imitatione profectam putent, niſi aliquem ex Latinis ſcriptoribus ita loquentem audiant. Ciceronis igitur hunc audiãt locum, Verr. 5, *Eiectos aratores eſſe dico, agros uectigales uexatos atque exinanitos à Verre: populatam uexatámque prouinciã. Hæc omnia doceo literis ciuitatum, & priuatis primariorum uirorum teſtimoniis. quid multis amplius? num expectatis dum* L. Met. &c. Legimus verò itidem apud Horatium in Epodis,

Quid amplius uis? ô mare & terra, ardeo.

Reducit autẽ mihi in memoriam hoc loquendi genus, quoddam aliud in quo vocula *Quid* præfigitur itidem aduerbio. Loquor de his verbis, *Quid tum poſtea?* ſcio enim audiuiſſe me qui hoc loquendi genus reprehenderẽt tanquã non ſatis Latinum, præſertímque ob aduerbium *poſtea*: quaſi hic illius vſus Latinæ linguæ incognitus

fuiſſet. Sed qui Plautum & Terentium triuerint, immeritò reprehendi intelligent.

Mane quum aduerbium ſit, ſuſpectum eſſe poſsit quod dicitur, *A mane ad ueſperam*, item *Summo mane*. ſed Latinè tamẽ dici multi loci oſtendunt.

Procul quin Latinum ſit nemo dubitat, ſed præfixa præpoſitione *Deprocul* dicere, vt à nobis dicitur *De loing* (quod ſonat *Delongè*, ἀπομακρόθεν) non licere Latinè loqui volentibus plurimi exiſtimant. eſt tamẽ ita loquutus Plautus.

In continenti fatebuntur itidẽ omnes duas eſſe voces Latinas: ſed poſſe nos illis aduerbialiter vti pro eo quod Gallicè dicimus *Incontinent*, ſcio plurimos eſſe qui ſibi perſuadere nequeant. Sed hi cùm alios, tũ iuriſcõſultos quoſdã ita loquutos eſſe, & in his Vlpianum, ſciant: quinetiam *Ex continenti* apud eum in hac ipſa ſignificatione inueniri: & in quibuſdam exemplaribus cõiunctè *Incontinenti* & *Excõtinenti* ſcriptũ eſſe.

Quum etiam pro Latino nemo eſt qui non habeat: ſed tamen ſiquis dicat *Diu eſt quum*, ſequente verbo, vt nos dicimus, *Il y a long temps que*, à pleriſq; nihil minus quàm Latinè loqui exiſtimetur. Sic tamen loquutus eſt Plautus, cùm alibi, tum in Mercatore,

-- puer eſt ille quidem, ſtulta:
Nam illi quidem haud ſanè diu eſt quum dẽtes exciderunt.

Sic autem paucis antè verſibus,

Ecaſtor iam biennium eſt quum mecum rem cœpit habere.

Atque hæc dicenti reſpondetur,

Quid ais tu? iam biennium eſt quum tecum habet rem?

Sed cur ego teſtem laudo Plautum, quum Ciceronem laudare poſsim? Ita enim ille, Epiſt ad famil. lib. 15, *Quare ſi iam biennium aut triennium eſt quum uirtuti nuntium remiſiſti*. Et in quadam ad Atticum epiſtola, *Biennium præterijt quum ille aſſiduo curſu cubitum nullum proceſſit.* In quadã alia, *Aliquot enim ſunt anni quum uos duos elegi.* Itẽ in orat. Pro Cluentio, *Dies nondum decem interceſſerant, quum ille alter filius necatur.* Nec deſunt alia ex eodem exempla, ſi congerere liberet. Multi tamen, vel potius quamplurimi, ita loqui non auſint, quòd minimè Plautum, multo etiam minus Ciceronem, ita loquutũ eſſe credant. Dicunt igitur non *Diu eſt quum*, ſed *Diu eſt ex quo*. Sic *Biennium eſt ex quo obiit*, vel *Ante biennium obiit*.

Vocabuli *Modò* recordatus ſum, dum verba facerem de voce *Quum*: quia illa temporis eſt itidem aduerbium. Oſtendam

etenim partim ex meis, partim ex aliorum obſeruationibus, quendam huius quoque vſumqui plurimis ſuſpectus eſt. atq; adeò quem non tantùm ſuſpectum habent, ſed apertè reprehendunt. Nam de præſenti tempore dicere *Modò*, vt valeat idē quod *Nunc*, nefas eſſe creditur, ei quidem certè qui Latinitatis violare leges nolit. At ego hanc etiam ſignificationem habere dico, atque adeò trium ſcriptorum autoritate confirmabo. Legimus apud Plautum in Aſinaria, Act. 2, ſcena 2,

AEtatem uelim ſeruire, Libanum ut conueniā modò.

In eadem comœdia Act. 3, ſcena 3,

— atat enim modò hercle in mentem uenit,

Nam hîc *uenit* præſentis temporis potius quàm præteriti eſſe videtur. Scio autē me in aliis quoq; locis eius obſeruaſſe, de quibus nulla (nihilo magis, quàm de illo priore) cōtrouerſia eſſe poſsit: ſed nunc in promptu non ſunt. Venio igitur ad Fabii locum, in procemio libri primi, *Nunc autem quæ uelut propria philoſophiæ aſſeruntur, paſſim tractamus omnes. Quis enim modò de iuſto, æquo ac bono, non & uir peſſimus loquitur?* Scio inueniri & apud Plinium hunc aduerbii *modò* vſum, ſi ſequamur priores editiones: ſed in poſterioribus aliter loci illi leguntur. Potius

igitur ad Terentii locũ veniam, in Adelph. Act.3,ſc.1,-- *modò dolores mea tu occipiunt primulùm.* Ac ipſe etiam Donatus admonet, præſentis temporis euidenter hîc eſſe iſtud aduerbium. Legimus apud eundem comicum in Hecyra, Act.3,ſc.5, L A. *Aduenis modò?* P A M. *Admodum.* Vbi idem Donatus, *Difficilè inuenitur* (inquit) *præſentis temporis modò. Atque ut oſtendat eſſe momentũ etiã præſentis temporis, dixit Admodum: quod eſt minus,* Quinetiam quum geminans hoc aduerbium idem poeta dicit, *Modò ait, modò negat:* & Cicero De diuin. lib.1, *Modò ait hoc, modò illud*: tempori præſenti apertè ſeruit, quum iiſdem locis adhiberi & *Nunc* poſsit. Hęc autem quum ita ſint, ſcripſit tamen Caper grammaticus, *Modò præteriti temporis eſt. ideo dicendum eſt, Modò ſcripſi, Modò feci: non, Modò ſcribo, Modò facio.* I nunc, & in grãmaticorum verba (id eſt præceptiones) iura.

De Adverbiis nunc illis dicendum eſt quæ ne yllum quidem in Latinitate locum habere falsò quidam exiſtimant. In illorum numero eſt *Inſtanter.* nam hoc ex noſtro *Inſtamment* fictum eſſe plerique crediderint. præſertímque ſi pro *Demãder inſtamment* aliquis dicat *Petere inſtanter*, barbarè loqui putabitur: quum tamen Pli-

nius iunior ita loquutus ſit.

Affabiliter quoque, licet itidem ſuſpectũ, in vſu fuit. Necnon aduerbium *Efficaciter* refugere quoſdam ſcio: ſed Plinium tamen & quoſdam alios id minimè refugiſſe videmus. *Indeſinenter* quoque, contra multorum opinionem, Latinum eſt. Sed & *Ignoranter* barbarum eſſe nequaquam dixerim. Nec *Diſcorditer* cur minus Latinũ ſit quàm *Cõcorditer*, video: cur *Infideliter* minus quàm *Fideliter*: licet in Dictionariis quæ vocantur, vſus aduerbii illius quidem, at nõ item huius exemplum afferatur. Viciſsim autem in iiſdem *Immiſericorditer* inuenitur, *Miſericorditer* nequaquam: quid? an hoc quidem nobis vti licere, illo autem non item, dicemus? In iiſdem quanuis *Docilis* & *Docilitas*, itidémque *Indocilis* & *Indocilitas* legãtur, nõ tamẽ aduerbia *Dociliter* & *Indociliter*: an ideo neminẽ ex iis qui Latinè loquuti ſunt, vſum illis eſſe putamus? In iiſdem nuſquã cõparet *Inhoſpitaliter*: ſed cur potius refugiſſe Latinos iſtud putabimus quàm *Inſatiabiliter*, & *Inſaturabiliter* (quo Cicero quoque vſus eſt) & *Inſolabiliter*, & *Implacabiliter*? Imò verò ne *Admirabiliter* quidem eiuſmodi eſſe videmus quod ipſi Ciceroni diſplicuerit, ſicut nec ſubſtantiuum *Admirabilitas*. Sed ad illa nomina quod attinet quibus particula

priuatiua IN præfigitur, fateor quædam illorum eiuſmodi eſſe vt dura videri poſsint facta ex illis aduerbia. cuiuſmodi fuerit *Inamabiliter*: multo etiam magis *Irreparabiliter*, *Irremediabiliter*. quod fortaſſe de *Inſanabiliter* non itidem dicendũ fuerit. Verùm vt ad alia tranſeam aduerbia, in quibus alia quàm in his & in præcedentibus compoſitionis eſt forma, *Vnanimiter*, *AEquanimiter*, *Magnanimiter*, *Puſillanimiter*, ex iis eſſe noui quæ nullum in Latinitate locũ habere exiſtimantur: ſed vel vnum horum alicuius Latini ſcriptoris teſtimonio comprobatum, ad cætera nobis exemplum eſſe poteſt. Ad poſtremum quidẽ illud *Puſillanimiter* quod attinet, ſcio nomen etiã ipſum *Puſillanimus*, ſiue *Puſillanimis*, in dubium à quibuſdam vocari: qui Latinos *hominem puſilli animi* tãtùm dixiſſe putant, non etiam voce compoſita *puſillanimem* vel *puſillanimum*. Verùm eadem ratione *magnanimum* reiiceret, quòd *magni animi* hominem cùm alii tum Cicero & Liuius dixiſſe comperiantur, ſicut & *maximi animi*.

Quum autem ex nonnullis nominibus duo fiãt aduerbia, in diuerſas ſyllabas exeũtia, quidam vnum admittunt, alterum nequaquam. Sic *Difficilè* nonnulli recipiunt, at *Difficulter* ſeu *Difficiliter*, non item. videmus

tamen ne ipſum quidem Ciceronem, hanc in iſto, ſicut & in aliis quibuſdam, terminationem refugere, & quidem vbi etiam altera vti poteſt. veluti quum *Inhumaniter* non minus quàm *Inhumanè* dicit. Idem *Imbecilliter* non *Imbecillè* dixiſſe traditur: (quod tamen probari ex illis qui afferuntur locis nõ poteſt, vtpote in quibus ſit comparatiuus gradus *Imbecillius*: & fortaſsis vtroque vſus fuerit.) In nõnullis quidem certè grammatici inter has terminationes diſcrimen conſtituunt, vt inter *Durè* & *Duriter* Donatus. Vbi autem hæc tantùm poſterior terminatio locum habere potuit, minus mira videri poſsit: vt in *Nequiter*, *Inaniter*: quorum poſteriore non ille ſolùm ſed Horatius quoq; & Naſo vſi ſunt. Quinetiã *Dulciter* nõ tãtùm Plinius iunior, ſed ipſe quoq; Cicero dixit.

Verùm vt ad terminata aliter aduerbia veniam, multi multa vitant, quum alioqui nomina ex quibus facta ſunt, minimè refugiant. vt *Correctè* & *Incorrectè*, quanuis vtãtur nominib⁹ *Correctus* & *Incorrectus*. Quinetiam (quod magis eſt ridiculum) *Correctè* dicere nonnulli audebunt, ſed *Incorrectè* nõ item. Sic *Artificiosè*, non tamen *Inartificiosè*: ſic *Explanatè*, ſed non *Inexplanatè*: ſic *Perturbatè*, non autem *Imperturbatè*. Sed augẽt ſtultam illam ſuſpicionem vulgaria Lexica (quæ vulgò Dictionaria ſeu Vocabularia

nominantur) quòd nullum eorum habeant veſtigium. Sed in iiſdem non eſt *Imprompte*, non eſt *Interrite*, nec *Imperterrite*: non eſt *Imperſpicue*, non eſt *Inambitioſe*, non ſunt (quod magis quis miretur) *Noxie* & *Innoxie*, nõ ſunt *Mūde* & *Immunde*: ſcilicet abſtinẽdũ his ideo nobis erit, tãquam parum Latinis.

In quibuſdam verò aduerbiis de terminatione controuerſia eſt, vtra magis ſit Latina, quæ in E, an quæ in O. Ego certè in nõnullis, tutius eſſe puto vti ea quæ habet O, vt *Optatò* potius quàm *Optate*, & *Improuiſò* potius quàm *Improuiſe* dicere. At *Inopinate* non minus quàm *Inopinatò* ſi dixit vnus & idem ſcriptor Liuius, (dixit autem, ſi exemplaria non mentiuntur) cur vno potius quàm altero vtẽdũ eſſe dicemus? De *Explorate* etiã & *Exploratò*, quin æquè Latinũ ſit vtrunque, dubitandũ forſitã haud fuerit.

Eſt præterea quædam alia terminatio aduerbiorum, in IM, ob quam nonnulla ſuſpecta eſſe ſcio. ac vereor certè ne quibuſdam minus Latinè hæc tribuatur. Exempli gratia, *Vniuerſim* quàm Latinum ſit neſcio: at *Vniuerſe* Latinum eſſe conſtat. fateor alioqui non *Coniunctè* tantùm dici, ſed etiam *Coniunctim*: ſicut *Diſiunctè* & *Diſiunctim*: atque adeò *Separatim* potius in vſu eſſe quàm *Separate*. Ad *Cõtemptim* autẽ quod

attinet,idem aduerbio *Contemptè* ſignificari poſſe non videtur.

CAPITIS SEXTI PARS SECVNDA.

Liceat in hac de Aduerbiis diſſertatione, latius hanc appellationem extendendo (ſicut præfatus ſum) & de particula QVOD & aliquot aliis verba facere,quæ alioqui potius Coniunctiones appellari à grammaticis ſolent. Quum autem tres potiſsimum ſint eius vſus ſuſpecti,incipiam ab eo in quo ſubiungitur voculæ *Quid.* vt apud Terentium Adelph.Act.3,ſc.2,

Me miſeram:quidnam eſt quòd ſic uideo timidum & properantem Getam?

Sic Plautus Aſinaria,

Sed quid illud, quòd exanimatus currit huc Leonida?

Præcedit autẽ,duobus verſibus interiectis,

Sed quid hoc quòd picus ulmum tundit? non temerarium eſt.

Interdum verò ſequente ſubiunctiuo : vt apud eundem, Curculione,

Loquere: quid eſt quòd Palinurum uoces?

Sic Terẽt. Eunucho, *Quid eſt quòd lætus ſis?* Et apud Ciceronẽ in Verrẽ, *Quid eſt quòd tu alios accuſes?* Vt autem præcedẽte *Quid*,ita etiã vbi præcedit *Hoc*, ita poſitũ inuenitur: vt apud Plautum in Aſinaria,Act.3,ſc.2,

Hoc eccaſtor eſt quod ille it ad cœnam quotidie. Non ſum tamen neſcius, nonnullos voculam hanc *quod* in huiuſmodi locis nomen eſſe exiſtimare, & perinde eſſe acſi diceretur *propter quod*: ſed hoc mihi perſuadere non poſſum, quum conſidero dici eodem modo *Quid eſt cur*, & *Quid eſt quamobrem*: quibus etiam in locis *cur* & *quamobrē* ſuam aduerbiorum appellationem retinere, fateamur neceſſe eſt. Sciēdum eſt autem voculā Græcam ὅτι talem quendam vſum interdū habere, qualem in locis quos modò attuli, dari videmus illi Latinæ *quòd*: quum dicunt (verbi gratia) τί τοῦτο ὅτι οὕτω κατηφὴς εἶ;

Inter illos tres particulæ *Quòd* vſus locum obtinebit ſecundum quidam qui multo magis præcedēte nouus & ſuſpectus multis fuerit. is nimirum in quo particulæ Græcæ ὅτι omnino reſpondet, quum dicunt λέγω ὅτι, & οἶδα ὅτι. Ex iis autem quos ad hanc ſignificationem pertinentes obſeruaui locis, eos afferam quos mihi memoria ſuggerit, quum cæteros quærere non vacet. Legimus igitur apud Senecā epiſtola 1, libri 19, *Quū uerò commendare paupertatem cœperat, & oſtēdere quòd quicquid uſum excederet, pondus eſſet ſuperuacuum & graue ferenti, ſæpe exire è ſchola pauperi libuit.* Hîc certè *oſtendere quòd* id eſſe quod Græci dicerēt δεικνύναι ὅτι, fate-

bitur quicunque Latinè ſcit. Legitur etiã in illa in Salluſtium oratione quæ Ciceroni falsò adſcribitur, *Credo quòd non omnes tui ſimiles incolumes in hac urbe uixiſſent.* Verùm cur non potius ad Plauti & Horatii locos venio, quorum multo maiorem eſſe autoritatem neceſſe eſt? Legimus ergo apud illum comicum in Aſinaria, Act. 1, ſcena 1,

Equidem ſcio iam filius quòd amet meus
Iſtanc meretricem è proximo Philænium.

Quorum verſuum prior aliquanto pòſt repetitur. ſed in priore loco poſt *ſcio* perperã poſita eſt πλεία στιγμὴ in recentioribus quidẽ certè editionibus, quum ne ὑποστιγμὴ quidẽ locum habere poſsit. Horatii autem locus eſt hic, Epiſtola 2, libri 2,

Si tibi nulla ſitim finiret copia lymphæ,
Narrares medicis: quòd quanto plura paraſti
Tanto plura cupis, nulline faterier audes?

Nemo (vt opinor) fuerit qui Horatium in aliqua ſuorum ſcriptorum parte βαρβαρί-σαι dicere audeat: viciſsim tamẽ negare poſ ſit nemo quin hîc dixerit *Faterier quòd cupis* (vt Græci dicũt ὁμολογεῖν ὅτι ἐπιθυμεῖς, & nos *Confeſſer que uous deſirez*) pro *Faterier te cupere.* Quicunque autem aliquo prædıti ſunt iudicio, non his tantùm verbis *Scio* & *Fateor* ſubiungi poſſe intelligent, quibus in iis quos attuli locis ſubiunctum eſt: ſed aliis

quibuſlibet, codẽ modo quo noſtrum *que* ſubiungeremus, vt videre eſt in multis locis iuriſconſultorum, apud quos frequentiſsimus eſt iſte huius particulæ vſus: & nominatim apud Vlpianum: veluti quum ſcribit, *Sufficit mulieri notum facere quòd ſit prægnans. Mariti eſt iam aut mittere cuſtodes, aut eidem renuntiare quòd non ſit ex eo prægnans.* Paulo pòſt, *Illud notandum eſt, quòd denuntiatio à marito nõ incipit, ſed à muliere.* Item, *Quæ cauſa ſi fuerit acta apud iudicem, & pronuntiauerit quòd ex eo prægnans fuerit*, &c. Verùm vt à iuriſconſultis ad eos ſcriptores quorũ Latinitas minimè ſuſpecta eſt, reuertar, memini me huius ſignificationis exẽpla apud alios nactum eſſe: & quidem Varronem vnum illorum eſſe arbitror. Sed lectorem cõmonefacere volo, nõnullos eſſe locos cùm apud hunc tum apud alios, vbi videri poſſit particula qua de agitur vſum illum habere, quum tamen non habeat: atque adeò vnum ipſius Varronis proferam, vbi nonnulli ita vſurpatam eſſe illam voculam falſò crediderunt. Is eſt libri 2, De re ruſtica, cap. 5, vbi de Italiæ nomine diſſerit, *Alij ſcripſerunt quòd è Sicilia Hercules perſequutus ſit eò nobilem taurum qui diceretur Italus.* Nam hîc non iungitur *quòd* cum *ſcripſerũt*, vt ſit *ſcripſerunt quòd*, vt Græcè diceretur ἔγραψαν ὅτι:

ſed ſubaudiendum eſt ex præcedentibus *à bubus nomen habere*:hoc modo, *Alij ſcripſerunt à bubus habere nomen*, *quòd è Sicilia* &c. Vel, *Alij ſcripſerunt à bubus dictam eſſe*, *quòd* &c. quia hæc proximè præcedunt, *Græcia enim antiqua (ut ſcribit Timæus) tauros uocabat* ἰταλοὺς. *à quorum multitudine & pulchritudine, & fœtu uitulorum, Italiam dixerunt.*

Venio ad tertium illum vſum particulæ *Quòd*, quem magis etiam quàm præcedentes miraturos eſſe pleroſque ſcio. In eo autem non iam tribus linguis, Græcæ, Latinæ, Gallicæ, inter ſe conuenit:id eſt, Latinæ particulæ *quòd*, cum Græca ὅτι, ſicut cũ Gallica *que*:ſed tantùm cum hac noſtra. Iam enim de illa ſignificatione loquor qua ponitur pro *quum*, in locis quos aliquanto antè ex Plauto & Cicerone attuli. Nam vt ibi dicitur *Biennium eſt quum cœpit*, ſic etiam *Biennium eſt quòd cœpit*, Latinè dici fatendum erit, aut mendo carere exemplaria, in iis quos afferam locis, negandum. Sciendum eſt igitur legi apud Plautum in Trinummo, Act.2, ſc.4, in principio,

Minus quindecim dies ſunt quòd pro his ædibus
Minas quadraginta accepiſti à Callicle.

Apud eundem legimus in Mercatore, initio cuiuſdam ſcenæ,

Syra non redit, quam accerſitum patrem iam
diu eſt

diu eſt quòd miſeram.

Naſo in epiſtola Leandri,

Septima nox agitur, ſpatium mihi lõgius anno,
Sollicitum raucis quòd mare feruet aquis.

Plinius iunior epiſtola 27, libri 4, in ipſo initio, *Tertius dies eſt quòd audiui recitantem Sentium Augurinum cum ſumma mea uoluptate, imò etiam admiratione.* Hîc verò alicui fortaſſe riſum mouebo, quod ad illos Plinii & Naſonis locos attinet, qui nimirum aliam in quibuſdam exemplaribus lectionem eſſe ſciet, à me autem illam ignorari exiſtimabit. Sed ille, quiſquis ſit, rem ſibi cum homine eſſe ſciat, quem omnibus in locis de quibus vel minima oriri dubitatio poteſt, omnia quæ nanciſci poteſt exẽplaria cõſulere nõ pigeat. Fateor itaq; in illo quidẽ priore Plauti loco pro *quòd* legi *quum* in recẽtioribus editionib⁹, Germanica & Antuerpiana: ſed mihi incertum eſſe dico ſitne ex coniectura an ex veteribus libris petita hæc emendatio. At in poſteriore loco neutram lectionem editiones illæ habent, quum tota illa ſcena in ipſis minimè extet: ſicut nec ea quæ proximè præcedit, cuius initium eſt, *Diua Aſtarte.* Multa autem in prioribus huius comici editionibus legi quæ ſint aſcita, ſiue (vt vulgò appellantur) ſuppoſititia, non ſum

neſcius. In illo autem Naſonis loco *ut* pro *quòd* (quam lectionem cùm aliæ quædam editiones habent, tum ea quam Pariſiis dedit Simon Colinæus anno 1529) extare ſcio in quibuſdam editionibus, & ita legi illum poſteriorem verſum,

Sollicitum raucis ut mare feruet aquis.

verùm etiamſi ſcirem lectionem hanc quæ habet *ut* ex antiquis libris eſſe ſumptam (vt certè nõ aliunde eſſe credibile eſt) nõ tamẽ alteram quæ habet *quòd* protinus reiicerẽ, (quoniam hanc quoque aliquorum veterum exemplarium autoritate niti exiſtimo) quin potius antiqua ipſa exemplaria inter ſe velut committenda eſſe, & illis quæ fide digniora viderentur, adhibendã potius eſſe fidem dicerem. Tertius ſaltẽ ille locus, qui Plinii eſt, intactus (quod ſciam) manet. neque enim ex vetere vllo libro lectionem allatam comperi, quæ nobis locum illũ mutet, *Tertius dies eſt quòd audiui.* Interim tamen me libẽtius particulam *quum* quàm alteram illam *quòd* huiuſmodi locis adhibere atq; adhibiturum eſſe non inficior.

Particula *quòd* habet etiã locũ poſt participiũ ablatiui caſus *Excepto*, eodem modo quo vocula noſtra *que* ſubiungitur noſtro participio *Excepté*, quod ex Latino illo fa-

ctũ eſt. dicunt enim (quod nouũ eſſe nonnullis poſsit) *Excepto quòd*, ſicut nos *Excepté que*. Plinius iunior epiſt.lib.9. ad Septiciũ, *Iter commodè explicui, excepto quòd quidam ex meis aduerſam ualetudinem feruentiſſimis æſtibus contraxerunt*. Fabius quoque ſic loquutus eſt, lib.9, cap. 4, *Et quidẽ Ciceronẽ ſequar. nam is eminentiſſimos Græcorum eſt ſequutus, excepto quòd pedes triſyllabos non uidetur excedere*. Verùm quid attinet ex Plinio & Fabio exempla proferre, quum ex Naſone atq; adeò ex Horatio ſuppetant? Ita enim Naſo, De Ponto, lib.4, elegia 1,

In quibus, excepto quòd adhuc utcunque ualemus,
Nil me præterea quod iuuet, inuenies.

Horatius autem epiſtolam decimam libri prioris his verſibus claudit,

Hæc tibi dictabam poſt fanum putre Vacunæ,
Excepto quòd non ſimul eſſes, cætera lætus.

Inuenitur etiam *Excepto quod* (vt de hoc quoque moneam obiter) ita dictum vt *quod* ſit nomen, non cõiunctio, ſicut in locis præcedentibus. Legitur enim apud eundem Naſonem, Triſt.lib.3, eleg.6,

Cuique ego narrabam ſecreti quicquid habebam,
Excepto quod me perdidit, unus eras.

At pro *Excepto quòd*, in ea ſignificatione

qua *quòd* eſt coniunctio, inuenitur etiam *Excepto ſi*: ſicut & nos dicimus nonnunquam *Excepté ſi*.Fab.lib.8,cap.3, *Sed ne inornata ſunt quidē,niſi quum ſunt infra rei de qua loquendum eſt dignitatem: excepto ſi obſcœna nudis nominibus enuntientur.*

Sciendum eſt autem hunc vſum coniunctionis *quòd* (quū dicitur *excepto quòd*) conuenire cum eo cui ſecundum locū dedi,non cum tertio:& Græcam particulam ὅτι hîc rurſum locum habere: & πλὴν ὅτι pro *Excepto quòd* interdum in ea lingua dici: quinetiam εἰ μὴ ὅτι, vt Fabium dicere *Niſi quòd* docui.

Etiam coniunctionis SI facienda mihi aliqua mentio eſt:monendúſque lector ne *Si* pro *An*, vt nos hac ipſa vocula vtimur, (quum dicimus, exempli gratia, *Demandez luy ſi cela luy plaiſt*) barbarum eſſe putet. Ita enim Latinos ſcriptores loquutos eſſe ſciendum eſt, cùm alios,tum verò Plautū & Terentium,necnon Horatium: cuius locum hîc teſtem producere contentus ero: ex epiſt.ſexta libri prioris,

--chlamydes Lucullus (ut aiunt)
Si poſſet centum ſcenæ præbere rogatus,
Qui? poſſum tot? ait. Id eſt, An poſſet.

Sic in epiſtola quæ hanc proximè ſequitur,

Inſpice ſi poſſum donata reponere lætus.

Id eſt, An poſsim. Exiſtimatur autẽ *ἑλληνί-ζειν* hic cõiunctionis iſtius vſus, quòd Græcorum particula *εἰ*, quæ idem alioqui valet quod *Si*, hanc quoq; voculæ *an* ſignificationem habeat.

Quinetiam *Si non* alicui nouum eſſe poſſit pro *Niſi*: (quem tamen vſum apud Naſonem non raro habet) ſed multo magis ea in ſignificatione qua noſtra lingua dicit itidem *Si non*, videlicet pro *Sin minus*. veluti quũ ita loquimur, *S'il le veut faire, tant mieux: ſi non, ie le contraindray*. Sic enim Naſo,

O dero, ſi potero: ſi non, inuitus amabo.

Eodem dixit modo Plinius iunior, *Si adſunt amici, honeſtiſſimi ſermones explicantur: ſi non, liber legitur*. Et quemadmodum in hac lingua, ſic & in noſtra, quæ eaſdem voculas retinet, ſubaudiendum verbum ex præcedentibus repetitum relinquitur. A Græcis autem in huiuſmodi locis non *εἰ μὴ* (vt quum *Si non* pro *Niſi* ponitur) ſed *εἰ δὲ μὴ*, dicitur.

Circa autem illarum vocularum vſum quæ INTERIECTIONES à grãmaticis vocantur (quũ alioqui Aduerbiorum comprehendi appellatione poſsint) nec multæ nec magni momenti obſeruationes eſſe poſsunt. Siquid tamẽ & de harũ quapiam dicendum eſt, animaduertendum eſ-

ſe dico, *Eho* reſpondere interdum noſtræ *Oho*, vel *Oho-don:* qui fortaſsis vſus à paucis obſeruatus fuit. Voculam autẽ *Ah* locum itidẽ in noſtro ſermone nonnunquã habere,& dolentis atque adeò ſuſpirantis eſſe,ſuperuacaneũ eſſe puto monere. Dicunt præterea *Aha*:ſed videndum eſt an alicubi illam etiam ſignificationem habeat quam apud nos habet *Aha*: itidémq; an vſquam illorũ voculæ *Ha* aliqua cum noſtra ſit conuenientia. Videntur enim hæ particulæ, præſertímque prior illa, *Aha*, potius aliquẽ Græcæ ἆ, vel ἆ ἆ,vſum habere. Atq; hîc recordor alius cuiuſdam,quam quũ Latini ignorent,nos contrà cum Græcis cõmunẽ habemus:nimirum ὄφ. à nobis enim itidem dicitur *Of*,quum dolore aut aliquo metu repẽtè afficimur. Ex illa autẽ vocula quibuſdã placuiſſe ὄφιν deducere teſtis eſt Euſtathius.

At verò particula *Heus*,pro qua dicimus *Hé*,inter aduerbia potius quàminteriectio nes numeratur. Ex illo autem *Hé* fecimus *Heucher:* quũ hoc verbũ ſonet quaſi quis dicat,Inclamare dicendo *Hé*: licet nunc ſcribatur potius & pronuntietur *Hucher*. Eodémque modo *Huer* ex *Hu* factum eſſe videtur.

ANACEPHALAEOSIS *obſeruationum aliquot quæ hoc libro continentur: cũ adiectione quorundam exemplorum quæ ad eas pertinent.* CAP. VII.

IN Mvltis huius libri locis mihi contigit vt calamo in manum ſumpto, alia in mentem ſubitò venirent exempla, quàm ea de quibus paulo antè cogitaſſem: ac tum demum in memoriam horum redirem quum paginas illas quibus adiicienda fuiſſent, prelo iam commiſiſſem. Quinetiam conſultò non pauca prætermiſi, quòd prima capita in nimiam molem excreſcerent. Id autem futurum præuidere nõ potueram, quum aduerſaria minimè haberem in quibus hæc ſcriptio velut informata eſſet, ſed me in eius progreſſu ad preli progreſſum accommodabam, quantum per occupationes & typographicas & alias memoria repetere quæ huc pertinerent, licebat. Quamobrẽ hîc quarundam obſeruationum memoriam ſic renouabo, vt ſimul exemplis nonnullis eas locupletem.

Primum autem locum illi parti dabo in

qua de nominibus ſubſtantiuis egi, quæ quum noſtris & voce & ſignificatione reſpondeant, ſuſpecta nonnullis eſſe ſcio, tanquam non ſatis Latina. Illis enim addere poterit lector cùm alia (de iis tantùm loquor quæ inſigniora ſunt, quum alioqui magnus eorum futurus ſit numerus) tum verò *Salarium* pro noſtro *Salaire*, non ſolùm ex iuriſconſultis, ſed etiam ex Plinio. Sed illi animaduertẽdum ſimul fuerit nos ſignificationẽ eius latius extẽdiſſe. Addere etiã id poterit quo in epiſtola huic opuſculo præfixa ſum vſus, *Strenæ*, in ea ipſa ſignificatione qua dicimus *Eſtrenes*, pro *Strenes*. Hoc autem vel maximè inter ſuſpecta quamplurimis eſſe ſcio: atque hoc teſtari poſſũt vel ea quæ Calendis Iani (qui ſtrenarũ eſt dies) ſcriptitari ſolent carmina. in illis enim paſsim inculcatur vocabulum *xenia*: at *ſtrenarum* nulla fit mentio. Scilicet quoniam nomen *xenia* ſonum quendam Gallicis auribus peregrinum (vt ita dicam) habet, contrà verò in *ſtrenæ* ipſam vocem Gallicam audire ſibi videntur, ideò ſuſpectum hoc, nõ autem illud, eſſe debet. Atqui *xenia* primùm quidem non Latinũ eſt, ſed Græcum: deinde munera quidem declarat, ſed quaſi quis dicat hoſpitalia: quæ videlicet hoſpiti donantur, vt hoſpi-

talitatis officiũ poſtulat. Alioqui ne ipſum quidem Cyclopem ignorauiſſe dicemus quas vocamus *eſtrénes*, quum dicit,

Οὖτιν ἐγὼ πύματον ἔδομαι μετὰ οἷς ἑτάροισι,
Τοὺς δ' ἄλλους πρόσθεν. τὸ δέ τοι ξεινήϊον ἔσται.

Vnde in prouerbium abiit Κύκλωπος δωρεὰ, ſiue Κυκλώπειον γέρας, aut Κύκλωπος ξένιον. Quòd ſi etiam latius extenſum fuiſſe vſum huius vocis ξένιον, vel plurali numero ξένια, (pro quibus Homerus dicit ξεινήϊον & ξεινήϊα) conceſſero & de muneribus quæ amico cuilibet donarentur, vſurpatam fuiſſe: at non propterea illis peculiariter conuenire, quibus ineunte anno amici ſe mutuò velut ſalutant: vel (vt melius mentem meam verbis Græcis exprimã) ἀντιδεξιοῦνται καὶ ἀντιφιλοφρονοῦνται. Libuit autem in patefaciendo vocis huius abuſu immorari, quòd vna ſit ex iis quas multi, docti etiam alioqui viri, inconſideratè, & (vt Thucydidis vtar verbo) ἀβασανίστως recipiunt. Sed nequis me reprehendat quòd illum quidẽ vulgò receptum vocis *xenia* vſum refutaui, at hunc vocis *ſtrenæ*, quem ſubſtituendum illi eſſe dico, non confirmaui, ad exẽpla veniam. Legimus itaque apud Auſonium, in epiſtola ad Vrſulum grammaticum (cui titulus hic præfixus eſt, Ad *Vrſulum grammaticum: cui ſtrenas calendis* Ianuariis

ab imperatore non datas, reddi fecit) in ipſo principio,

Primus iucundi fuit hic tibi fructus honoris,
Auguſtæ fauſtum munus habere manus:
Proximus ex longo gradus eſt, quæſtoris amici
Curam pro ſtrenis excubuiſſe tuis.

Sed quoniam neque huius neque aliorũ qui circa eadem tempora floruerunt magnam fore autoritatem ſcio, Suetonii Trãquilli locos afferam. Legimus itaque apud eum, in Caligula, cap. 42, *Filia verò nata, paupertatem, nec iam imperatoria modò ſed & patria conquerens onera, collationes in alimoniam atque dotem puellæ recepit. Edixit & ſtrenas ineunte anno ſe recepturum: ſtetitque in veſtibulo ædium cal. Ianuariis, ad captandas ſtipes, quas plenis ante eum manibus ac ſinu omnis generis turba fundebat.* Libuit autem hunc de ſtrenis locum altius repetere, vt ſimul quorſum hic vecors imperator ſibi quoque ſtrenas dari vellet, intelligeretur. Legimus apud eundem in Tiberio, *Quotidiana oſcula prohibuit edicto: item ſtrenarum commercium, ne ultra cal. Ianuarias exerceretur.*

Non deſunt alia pleraq; ſubſtãtiua quæ nõ minus noua multorum auribus futura ſint (ex quib⁹ eſt *Species* pro noſtro *Eſpices*: & *Pilũ* pro noſtro *Pilon*, ad eas in mortario

tũdẽdas) paucis tamẽ cõtentus ero, & quidẽ ex eorũ genere quæ verbalia vocantur. Dico igitur in hac nominum claſſe multa reperiri quæ falsò ſuſpecta ſint. Duo autẽ eſſe horum verbalium genera ſciẽdum eſt: vnum eorum quæ nullum in Latinitate locum habere à nonnullis falsò exiſtimantur: alterum eorum quæ Latina quidem eſſe, ſed non in ea ſignificatione quam habent noſtra, voce cum illis conuenientia, putantur. Ex horum numero (nam de his prius dicam) eſt *Propoſitum.* nam Latinum eſſe hoc vocabulum vix quiſquam eſt qui negaturus ſit: ſed tamen *Egredi à propoſito*, eo ſenſu quo dicimus *Sortir du propos*, ſiue *de ſon propos*: & viciſsim *Redire ad propoſitum*, pro eo quod à nobis dicitur *Retourner au propos*, ſiue *à ſon propos*: ſuſpecta multis fuerint: atqui ipſe etiam Cicero ita loquutus eſſe comperitur. Quinetiã *Aberrare à propoſito* apud eum legitur pro eo quod ſermo noſter dicit *Extrauaguer hors de ſon propos.*

Compoſitio itidem vocabulum eſt quod Latinis in vſu fuiſſe & norunt & fatentur omnes: ſed pro eo quod nos quoque dicimus *Compoſition*, id eſt, ad ſignificandum quod alia voce appellamus *Accord*, multis ſuſpectum fuerit: quia cùm alios tum verò

Cæſarem & Ciceronẽ ita vſos eſſe ignorāt.

Intentio quoque an Latinum eſſet pro noſtro *Intention*, dubitatũ à multis ſcio: Fabius tamen proculdubio illo nomine ita vſus eſt, & quidem non ſemel.

Affectio etiam vix admittetur à nonnullis pro noſtro *Affection*, quum dicimus *Porter affection à quelcun*: neque tamen negari poſſit quin talis ſit illius verbalis vſus cùm alibi, tum in hoc Plinii loco, *Simiarum generi præcipua erga fœtum affectio.*

Quæſtio autem inter falsò ſuſpecta eſſe, illa etiam in ſignificatione quam noſtro *queſtion* tribuimus, quum tormenta quæ ad eliciendam veritatem adhibentur, ita vocamus, antea monui.

Alterum genus falsò ſuſpectorum verbalium, eſt eorum quæ nullum in Latinitate locum habere, non autem (ſicut ſuperiora, & alia nõnulla) Latina quidẽ eſſe, ſed non in hac vel illa ſignificatione, exiſtimantur. Ex his eſt *Habitio*, item *Debitio*. multi enim ab his abhorreant tãquam minimè Latinis: quum tamen *Debitio* apud Ciceronem non vno in loco extet, *Habitio* apud Gellium (aliunde, vt opinor, ſumentem) legatur. Cic. ad Att. lib. 14, *Quintus autem de emendo nihil curat hoc tempore. ſatis enim torquetur debitione dotis.* Idem Pro Cn.

Plancio, *Quan quam diſſimilis eſt pecuniæ debitio & gratiæ. nam qui pecuniam diſſoluit, ſtatim non habet id quod reddidit: qui autem habet, is retinet alienum. gratiam autem*, &c. Gellius autem lib. 1, cap. 4, ex quodam Iuliano rhetore, de illo ipſo Ciceronis loco diſſerens, *Debitio enim gratiæ, non habitio, cum pecunia confertur*. Sed & alia nō pauca verbalia, quæ multo etiam minus quàm hæc videri dura poſsint, à pleriſque vitantur, tanquam non ſatis Latina: præſertim tamen quæ noſtris vt ſignificatione ita etiã voce ſunt ſimilia. Horum eſt *Colluſio*, pro noſtro *Colluſion*. Illud enim apud multos in ſuſpicionem venire poſsit, quum tamen non ſolùm Vlpianus, & quidam alii iuriſconſulti, ſed ipſe quoq; Cicero vtatur. At *Colluſoriè* pro *Per colluſionem*, ſiue *Vtendo colluſione* (aut breuius, *Colludendo*) neſcio an Cicero dicere ſibi permiſiſſet, vt illos ſibi videmus permiſiſſe. In eodem numero eſt *Collecta*. hoc enim multi vix ſatis Latinum eſſe crediderint pro eo quod dicimus *Cueillette*, quidam etiam *Collecte* (quum videlicet colligũtur quæ à ſingulis conferuntur ſymbolæ) quum tamen Latinum eſſe Varronis & Ciceronis loci oſtendãt. Addendum eſt etiam *Audientia*, quotuſquiſque enim eſt qui verbale hoc *Audientia* audiẽs, vocem ex Gallica *audience* effictam audire

ſibi non videatur? Atqui tam Latina eſt quàm Plautus,& Cicero (vt de aliis taceã) Latinè loquuti ſunt.Sed monendus eſt tamen lector,phraſes quaſdam inueniri quibus adhibitum ſit hoc vocabulũ, vbi Gallico illo *audiencæ* interpretari,niſi mutato quod ei adiungitur verbo,non liceat. Exẽpli gratia:ſiquis apud Plautum & Liuium *Facere audientiam* interpretari velit, *Faire audiencæ*,vt retineat Latinũ verbum *facere*, nequaquam profectò ſenſum illius generis loquendi aſſequetur. Vbi enim ſcribit Plautus (in Pœnulo videlicet,)

Exurge præco, fac populo audientiam,

ſiquis interpretabitur *Fay audiencæ*, Gallicis vtetur verbis,& Gallicè tamen non loquetur. Quidam igitur vertũt, *Fay faire audiencæ*.quod etiam non ſatiſfacit. Ac videtur certè tutius in hoc loco & aliis huiuſmodi vti voce *ſilencæ*, hoc modo, *Fay faire ſilencæ*.Planè autem ſimilis eſt hic locus Liuii,Decadis 5,libro 3, *Audientiam facere præconem iuſſit*. Sed & apud autorem rhetoricorũ ad Herẽnium legimus, *Illi præco audiẽtiam faciebat*. At verò vbi ſcribit Cicero, *Quantam audientiam orationi meæ improbitas illius factura ſit*,videtur poſſe reddi, *La belle audiencæ que me ſera auoir ſa meſchancæté*. vel, *La bonne audiencæ*. Quinetiam vbi idem non

hoc verbali, ſed ipſo verbo vtens, dicit, *Auditus eſt magno ſilētio*, poſſumus nihilominus noſtro verbali eodem vti modo, *Il a eu bōne audience*. Viciſsim autem verbo vti locis nonnullis quibus ille verbale adhibet: vt quum ſcribit in libro De ſenectute, *Facitque perſæpe ipſa ſibi audientiam diſerti ſenis compta & mitis oratio*, ſi nolimus dicere, *Elle ſe fait donner audience*, vel, *Elle ſe fait auoir audience*: poſſumus ita loqui, *Elle ſe fait ouir*, vel *Elle rend les gens attentifs*, vel *Elle ſe fait preſter l'oreille*, vel *Elle fait ouurir les oreilles*. Addam verò & hoc, quendam etiā eſſe illius noſtri verbalis vſum, cui hoc Latinum non ſatis commodè adhiberi poſſit. ſiquidem *Donner audience* aptius interdum reddetur, *Dicendi poteſtatem facere*: in foro autem dici etiā poterit, *Agendæ cauſæ poteſtatem facere*.

Sunt etiam ex aliis verbalibus (id eſt, aliā terminationem habētibus) nonnulla quæ falsò ſuſpecta ſunt. Ex his eſt *Habitus* pro eo quod dicimus *Vn habit*. Nam ſi Latinū in hac quoque ſignificatione non eſt, Liuius & Fabius & Plinius iunior Latinè loquuti non ſunt. Apud Virgilium legimus etiam *habitu veſtis*.

Qvvm autē paulo antè verbalis *Colluſio* mentionem facerem, recordatus ſum & aliarum vocum forēſium quæ illis quas

ſuprà attuli adiici poſſunt. Vt enim oſtēdi *Conuenire* & *Citare* & *Stare in iudicio* Latinè dici, necnon *Emancipare*, *Sequeſtrare*, *Subhaſtare*, eodem modo quo à nobis *Conuenir quelcun*, & *Citer*, item *Emanciper*, *Sequeſtrer*, *Subhaſter*: aliáque huius in forenſibus vocabulis noſtræ linguæ cum Latina conuenientiæ exempla protuli, ita etiā dico *Cōfiſcare* pro noſtro *Confiſquer* dictum à iuriſconſultis fuiſſe. quum tamen multi ex iis etiam qui *fiſcum* pro Latina voce agnoſcunt, illud verbum non itidem inter Latina ſint numeraturi. Sed quid ego iuriſconſultorum duntaxat mentionem facio, quū etiam Suetonius illo verbo vſus ſit?

Reſcindere quoque, eſſe id quod dicimus *Reſcinder*, ac iuriſconſultos ita eſſe vſos, præbētē illis exemplum Cicerone, ſi omiſiſſem in ſuperioribus, his addēdum eſſet. Quinetiā *Interpellare* verbū forenſe apud Latinos ita fuiſſe, vt apud nos eſt *Interpeller*, lectorem celare nolo. Sic quoque *Falſare* pro noſtro *Falſifier*, lectorem falsò ſuſpectum habere nolo. Nec verò minus Latinum eſt *Colludere*, vt dicimus *Colluder*, quàm verbale *Colluſio* (cuius ſuprà mētionem feci) pro noſtro *Colluſion*: ſed huius nominis multo frequentiorem apud nos vſum eſſe fateor. A nobis dicitur *Il a faict*

cela à la ſuggeſtion d'un tel: quis hac in ſignificatione inueniri *Ex ſuggeſtu* credat? inuenitur tamen cùm apud alios, tum verò Vlpianum. Frequens eſt nobis *Perſonne ſuppoſee*, itidémq; *Perſonne interpoſee*, pro quibus poſſe dici itidem *Perſona ſuppoſita*, & *Perſona interpoſita*, credituri non ſunt multi: ſed tamen apud iuriſcõſultos hæc quoque extant, necnon *Per perſonam interpoſitam*, & *Per perſonam ſuppoſitam*: vt nos dicimus *Par perſõne ſuppoſee*, & *Par perſonne interpoſee*. Quòd ſi à verbis & participiis, & nominibus verbalibus (nam ex his eſt illud *Suggeſtus*) ad nomina veniendum eſt, tam ſubſtantiua quàm adiectiua nonnulla poſſunt illis adiici. Ex ſubſtantiuis erit *Rigor* pro eo quod dicimus *Rigueur*: vt *Rigor iuris* apud Modeſtinum, *Rigueur de droict*. cui videlicet oppoſita eſt ἐπιείκεια, vt Græci vocant. Donec tamen alibi quàm apud hunc inuenerim vſum iſtum nominis *rigor*, me timidius eum imitaturum eſſe fateor. *Facultates* quoque, pro eo quod dicimus *Les facultez*, eſt quidem & ipſum iuriſcõnſultorum, ſed illis cum aliis ſcriptoribus, & nominatim cum Cicerone, cõmune eſt. Quòd ſi & adiectiui alicuius facienda mẽtio eſt, addendi ſuperioribus, proferri poteſt *Falſarius*: quo non tantùm iuriſcon-

ſulti vtuntur,ſed etiam Suetonius, ea in ſignificatione quam habet noſtrũ *Faulſaire.*

Ab hoc adiectiuo iuriſconſultorum (licet Suetonium quoq; vſum illo eſſe oſtẽderim) ad alia adiectiua falsò ſuſpecta trãſeo,ſed quæ aliorum quoque ſint: quædam verò aliorum potius quàm illorum. Ex eo numero ſunt *Ordinarius* & *Extraordinarius* pro noſtris *Ordinaire* & *Extraordinaire.* Inter falsò ſuſpecta quæ eiuſdem terminationis ſunt,habemus & *Solitarius* pro noſtro *Solitaire.*Legimus enim apud Ciceronem *Solitario homini,atque in agro vitam agenti.*Apud Fabium autem legitur etiam *vita ſolitaria.* Vt autem ad aliam terminationẽ veniam,*Notabile* pro eo quoque quod vocamus *Notable*, nequaquam barbarum eſt, niſi Suetonius, Tacitus, Plinius iunior, barbarè loquuti eſſe,aut ſaltem barbara quædam ſermoni ſuo intermiſcuiſſe,exiſtimãdi ſunt.Mirum autem eſt adeo ſuſpecta eſſe quibuſdam omnia huius terminationis, quæ noſtris voce pariter & ſignificatione reſpondẽt,vt etiam *Miſerabilis* & *Venerabilis*,necnon *Affabilis*, pro noſtris *Miſerable* & *Venerable* & *Affable*,in ſuſpicionem apud illos veniant:ſed hæc ſuſpicio ne digna quidem eſt quæ refutetur. Fortaſsis autẽ alia adiectiua quæ ſuſpecta eſſent aliis maiore

iudicio præditis, & qui linguæ Latinæ magis aſſuetas habent aures, illis contrà (quia non habent eodem modo in ſermone noſtro quæ ſibi reſpondeant) ſuſpecta itidē non fuerint. Tale certè eſt *incongelabilis*. nam multi quos de voce illa dubitare, quinetiam dubitantes alios audire pudeat, de hoc dubitaturi ſint: at illi quibus vix alia ſuſpecta ſunt quàm quæ eandem cum noſtris vocem pariter & ſignificationem habēt, hoc potius quàm illa duo admiſerint. Sed quanuis non multorum ſcriptorum autoritate hoc nitatur, ſicut illa niti ſcimus, nihilo tamen magis refugiendum eſſe exiſtimo. Hoc enim in hoc nomine, ſicut in aliis quamplurimis, conſiderādum eſt, ideo rarum eſſe, quòd eiuſmodi ſit eius ſignificatio vt rarò eius rei quam ſignificat, facienda mentio fuerit. Legitur autem illud adiectiuum apud Gellium, lib. 17, cap. 8, *Propterea id quoque ait quæri dignū, cur fluuiorum & fontium aquæ gelu durentur, mare omne incongelabile ſit.* Quemadmodum porro multa ex Latinis in --*abilis* adiectiuis ad noſtram linguam peruenerunt, ita etiam quædam in --*ilis*. cuiuſmodi ſunt *agilis* & *habilis*. nam ex his fecimus *agile* & *habile*: ſic tamen vt de hoc poſteriore aliqua eſſe controuerſia queat, an cum hoc

noſtro vſquequaque conueniat. Adiectiuis autem in *--ibilis*, quorum facta fuit in ſuperioribus mentio, addi cùm alia poſſunt, tum verò *Plauſibilis*. multi enim quum Gallicè dicunt, *Cela eſt plauſible*, haud quaquam ſibi licere exiſtiment Latinè itidẽ dicere *Hoc eſt plauſibile*. At ex iis quæ in *--oſus* exeunt veniunt immeritò in ſuſpicionem quædam quibus nulla eſt cum noſtris conuenientia: cuiuſmodi ſunt *Flexuoſus* & *Diſcordioſus*: ſed multo plura ex iis quæ lingua noſtra imitatur: veluti *Tortuoſus*, *Glorioſus*, *victorioſus*. Sed illorum quidẽ duorum *Tortuoſus* & *Glorioſus* pro noſtro *Tortu* (quod tamen potius dicendũ eſſe ex *Tortus*, cui hanc quoque ſignificationem dari videmus) & pro noſtro *Glorieux*, exempla multo ſunt quàm tertii *victorioſus* frequentiora. nam hoc non aliunde quàm ex M. Catone affertur: ac videri certè poſsit in eo diſcrimen aliquod eſſe noſtri *victorieux* ab illo *victorioſus*, quòd noſtrum de illo quoque dicatur qui vnicam victoriam reportarit, at *victorioſus*, de illo tantùm qui plures. Quod ſi verum eſt *Gratioſus* à Cicerone poni etiam pro eo qui comis ſit & comiter obſequioſus (quod multis nouum atque adeò incredibile futurum eſt, licet à Budæo annotatum) noſtro *Gratieux* reſpõ

dere itidem dici poterit. Adeo autẽ hanc in --*oſus* terminationem amarunt antiqui, vt non ſolùm quibuſdam vſi ſint in quibus alia terminatio poſteris eorum magis placuit (vt quum pro *Facundioſus* dixerunt *Facundus*)ſed nõnullis etiam quibus hi omnino carere maluerunt. cuiuſmodi ſunt *Diſciplinoſus* & *Conſilioſus*, quæ Gellius vnà cum illo *Victorioſus*, ex M. Catone affert. Poſteri tamen in quibuſdam vtranque terminationem retinuerunt: quippe qui non ſolùm *Perfidus* & *Inuidus*, & *Deſes*, ſed etiam *Perfidioſus* & *Inuidioſus* & *Deſidioſus* dixerint. Fecimus autem nos vocem noſtram *Enuieux* ex illa *Inuidioſus*, potius quàm ex altera *Inuidus*: ſed actiuam tantùm ſignificationem noſtræ tribuimus, quum Latini ſuæ paſsiuam quoque, & quidem multo frequẽtius, tribuant. *Diſcordioſus* autem apud Salluſtium non eſt pro *Diſcors*, ſed pro eo qui ad excitandam diſcordiam eſt propenſus. Sunt porro & quædam terminata ſecus adiectiua, quæ ex Latina lingua in noſtram manarunt: ex quibus eſt *Superfluus*, pro noſtro *Superflu*: quum tamẽ multi minimè Latinum eſſe illud exiſtiment. Sunt præterea quædam adiectiua quibus metaphoricè vti, eodem quo in lingua noſtra modo, poſſumus. Ex his ſunt *Simplex* &

Duplex. nam illam quoq; ſignificationem metaphoricam habent de homine, quam apud nos *Simple* & *Double*: itidémque apud Græcos ἁπλοῦς & διπλοῦς. Sic autem & apud Horatium quidam expoſuerũt in hoc verſu, Carm. lib. 1, --*nec curſus duplicis per mare Vlyſſei*. quum *duplices* quidã legere malint. Sic etiam *Mollis* & *Durus* metaphoricam quoq; noſtrorum *Mol* & *Dur* ſignificationem habent. Sed nullum fortaſsis in hoc genere magis mirum fuerit quàm *Cæcum cubiculum*, eodem dictum modo à Varrone quo à nobis *Vne chambre borgne* dicitur.

Hoc tantùm de adiectiuis addam, multos nimium religioſè (ne dicam ſtultè) à quibuſdam abſtinere quòd ea nuſquam legerint, vbi vſitatiſsimis præfigenda tãtùm eſt particula *in*, quæ priuãdi vim habet. Sic nonnulli reperientur qui quum in Latino ſermone (exempli gratia) vſitatiſsima eſſe ſciant, *Clemens* & *Diligens* & *Elegans*, dubitaturi ſint tamen an *Inclemens* & *Indiligens* & *Inelegans*, dicere ſibi liceat: itidémq; quanuis *Promptus*, *Strenuus*, *Callidus*, *Scitus*, *Argutus*, *Ambitioſus*, *Affabilis*, paſsim legi apud Latinos ſciant, tamen vix auſuri ſint, præfixa illa particula, dicere, *Imprõptus*, *Inſtrenuus*, *Incallidus*, *Inſcitus*, *Inargutus*, *Inambitioſus*, *Inaffabilis*. Atqui reperitur etiam nonnullis

præfixa hæc vocula *in* quibus alia iam præpoſita erat. Cuiuſmodi ſunt iſta, *Inconuenient*, *Incongruens*, *Inconniuens*, item *Inconſuetus*, *Incontaminatus*, *Incompertus*: & in iis quæ participiorum formam non habent, *Incongruus*, *Inconſcius*, *Inconſpicuus*. Viciſsim autem quanuis adiectiua nonnulla quæ in fronte particulam illam habēt, autoritate alicuius Latini ſcriptoris niti ſciāt, tamen an fas ſibi ſit abſque illa vti his in contraria ſignificatione, ambigunt. Exempli gratia, licet *Incongelabilis* apud Gellium legant, tamen ſiquando *Congelabilis* dicere opus ſit, hærebunt. Sic quanuis *Inenodabilis* dixerit Cicero, an Ciceronianum aut etiam an Latinum ſit itidem *Enodabilis*, quærent. Eodémque modo de aliis huiuſmodi quæſtionem mouebūt. Quòd ſi me roget quiſpiam an ipſe contrà eſſe tam audax velim, vt vbique detracta illa particula quæ priuandi vim habet, contrariæ ſignificationis nomen facere velim, tantæ contrà audaciæ ſuſpicionem deprecabor, & cautionē aliquam hîc quoque adhibendam eſſe reſpondebo. Alioqui enim videri poſſem exiſtimare, quemadmodum *Incogitans* & *Inconſiderans* dicitur (vt taceam de quibuſdā aliis) ita etiam *Cogitans* & *Cōſiderans* ad declarandam rem cōtrariam dici poſſe: quū

ego contrà minimè Latina hæc eſſe rear. Sed monere lectorem libet, talem in nonnullis quoque ſubſtantiuis religionē quorundam, vel potius ſuperſtitionem, eſſe, vt quanuis *incertitudo* (exempli gratia) apud Ciceronem legatur, de nomine *certitudo*, an Latinū itidē ſit, dubitare illos nō pudeat.

Alia multa ſuperſunt, quæ diuerſis huius libri locis addi à me poſſent: ſed iis omiſsis, vel potius Appendici reſeruatis, ad eum locum venio in quo de nominibus Græcis ago, quæ nobis cum Latinis ſunt communia, & de quibus dubitari poteſt an per manus Latinorum ea habeamus. Addo igitur illis nomen *idiota*, quum ſit è Græco ἰδιώτης, & nos quoque vulgò *idiot* dicere ſoleamus. Eſſe autem vſum Ciceronem quoque illa voce *idiota*, ſiquis nondum nouit, ex me diſcat: & quidē ita vno in loco vſum vt noſtræ reſpondere videri poſsit, quum ingenioſo & intelligenti idiotam opponat. Atque vt illi qui noſtrum *idiot* Latinè vult interpretari, procul abeundum non eſt, quum Græcam & ipſi linguam in hoc nomine imitentur, ſic etiā illum qui dicere vult Latinè, quod appellamus *arrhe*, Latinā vocē in propinquo habere ſciendū eſt, nimirum *arrha*. Niſi malit *arrhabo* cum Plauto & Terentio dicere. in

quo nomine magis integrum manet Græcum ἀῤῥαβών: Græcum inquam, id eſt à Grę cis vſurpatum, ſed ex Hebraica lingua profectum, quum in illa ערבון pignus ſignificet. Sic etiam ex πρόλογος Latini *Prologus*, nos *Prologue* fecimus, ſed pro qualibet prę fatione indifferenter. Itidémque ἐπίλογος illis eſt *Epilogus*, nobis *Epilogue*: ſed vulgo non perinde notum atque illud alterũ. Factum verò inde & forenſe verbum *Epiloguer*. Nec verò vox *Metalla* à Græca μέταλλα quicquam differt: & nos hîc quoque Græcam appellationem nobis communem cũ Latinis eſſe voluimus. quippe qui dicamus *Metaux*. Idem denique & in multis herbarum nominibus fecimus, ſic tamen vt pleraque minus quàm illi integra ſeruauerimus. Quinetiam in nõnullis pharmacorum appellationibus factum à nobis idem fuit: ac meritò in illa duo ἔμπλαστρον & κατάπλασμα, quum ad pharmaca pertineãt, idẽ iuris noſtræ linguæ eſſe voluimus. De morborum autem Græcis nominibus quæ noſtro ſermoni cum Latino ſunt communia, dictum antea fuit: ibidémque de δόσις, in quo ex Græca lingua in noſtram transferendo non itidem ſequuti exemplum illorum dici poſſumus: ſicut nec in aliis quã-

plurimis,quæ alibi recenſui. Iam verò alicubi ſi non ipſum Græcorum vocabulum, at certè metaphoram qua vſi in ſuo erant, accepimus. ex quibus eſt noſtrum *grue*, de machina qua ſaxa ſubuehuntur ab iis qui ædificant. Ea enim ab ipſis γεράνιον appellata fuiſſe creditur.

Verùm quod attinet ad illam Gallicæ linguæ cum Latina conuenientiam in nonnullis quæ ex Græco ſermone manarunt, obſeruandum hoc quoque eſt, Gallos alicubi appellatione vti quæ Latinæ ſicut voce ita etiam ſignificatione reſpondet, eoſdémque in certo quodam eius vſu imitari Latinos, quatenus Latini Græcos fuerint imitati. Exemplo eſſe poteſt vox *Reliquiæ*. nã & à nobis dici *Reliques*, ſatis notum eſt: ſed plurimi ſunt qui pro illo noſtro *Reliques* in certa quadam ſignificatione barbarum fore exiſtimaturi ſint Latinum *Reliquiæ*: nimirum pro oſsibus mortuorum: eo modo quo vulgus dicit *Les reliques des ſaints*, & generalius *Les reliques des morts*. Interdum verò addito alio nomine dicitur, *Les reliques & oſſemens des morts*. Tantúmque abeſt vt barbarum ſit in hac ipſa ſignificatione nomẽ *Reliquiæ* vt etiã Maro illo vſus ſit. Quẽadmodũ autem in noſtro ſermone copulari nonnunquam dixi *Reliques* & *oſſemens*, ſic à Sueto-

nio *reliquiæ* & *oſſa*, ſiue *oſſa* & *reliquiæ* coniunctè dicuntur. ſed perinde eſſe videtur, acſi oſſa & cineres qui reliqui erãt, diceret. Galli deniq; hanc Latini nominis *Reliquiæ* ſignificationem ſequuntur, ſed ita vt ſimul eandem Græci λείψανα ſequi videri poſsint: quatenus nimirum Græcorum exemplo Latini ad hunc vſum reſtringere ſuum illud vocabulum voluerunt: quod alioqui tam latè patet quàm Græcum illud λείψανα, & eandem planè deriuationis formam habet.

Dum autem quod vulgus vocat *Les reliques des ſaints*, poſſe *reliquias* vocari dicerem, recordatus ſum quarũdam vocum quæ quum è Græcis Teſtamenti noui factæ ſint Latinæ, & in noſtro etiam ſermone manſerint, à quibuſdam tanquam nullum in Latinitate locum habentes, reiiciũtur. Ex iis ſunt *Hypocrita* & *Eleemoſyna*, pro quibus dicitur à nobis *Hypocrite* & *Aumoſne*. Qui autem illas reiecerunt, & *ſimulatorẽ* pro *hypocrita*, pro *eleemoſyna* dicere *benignitatem* vel *ſtipem* maluerunt, Latinè quidem loquuti ſunt, ſed ita vt vim Græcarum vocum minimè expreſſerint. At ego illas ex Græco ſermone ortas, non minus à Latinitate poſſe admitti dico, quàm admittitur *angelorum* appellatio, itidémque

idolorum,& *baptiſmi*. Neq; enim minus admitti nomina iſta dicendum eſt, quòd tãta fuerit cuiuſdam interpretis támque veſana audacia vt *baptiſmum* in *lotionem* mutauerit:ac ne ab *angelis* quidem audaciam illam abſtinuerit, ſed ex illis *genios* fecerit. Ac,nequid intactum relinqueret, pro *idolis* & *idololatris* non minus ridiculas quàm nouas voces auribus noſtris attulerit,*deaſtros* & *deaſtricolas*. Nimirum vt à Latinitate gratiam iniret, magnam Chriſtianiſmo iniuriam facere non dubitauit. ſed hæc quoq; illum de ſe malè meritum eſſe pot ius dixerit,quippe qui vocabula, quæ iampridem ex Græcis ſua (eodẽ quo alia infinita iure) fecit,ſibi eripere conatus ſit. Idem *ethnicus* ſumptum ex Græco ἐθνικὸς, in *extraneus* mutauit: quod nos non retinuimus, ſicut cætera,ſed aptiſsima interpretatione vim eius expreſsimus.nam ſicut Græcis ἔθνος eſt quod nobis *pays*, & ex illo ἔθνος factũ fuit ἐθνικὸς, ita nos ex illo *pays* fecimus *payen*, pro *ethnicus*.

Quaſdam præterea voces Gallicas reperiri ſciendũ eſt quæ ex Latinis ortæ videãtur, Græcam originem habentibus. Ex his eſt *Apothiquaire* pro *Apothequaire*. neque enim dubito quin dictum aliquando fuerit *Apothecarius*, quod ex nomine ἀποθήκη

factum eſſet. Atque hanc ipſam vocē Græcam peperiſſe arbitror noſtrā *Bouthique*. nā pro *Apotheque* dictum fuiſſe primùm *Potheque* veriſimile eſt, deinde creſcente paulatim deprauatione *Botheque* & *Boutheque*: ac tandem mutata etiam vocali *e* in *i*, *Bouthique*. Vſos autem eſſe conſtat & ex Latinis quoſdam, atque in his Ciceronem, nomine *Apothecæ*: atque ideo ſiquis pro *Bouthique* dixerit *Apothecæ*, Latinè ſimul & Græcè (niſi quòd mutatur terminatio) loquutus erit, ſimúlque noſtram illam vocem ad ſuam originem reduxiſſe videri poterit.

Quod autem de nomine *Apothiquaire* (pro *Apothequaire*) dixi, nimirum ex Latino vocabulo factum eſſe, quod ex Græco originem habeat, idem de nomine *Ialous* dico. Neque enim dubito quin ex ſubſtantiuo *Zelus* (id eſt ζῆλος) factum olim fuerit adiectiuum *Zeloſus*: ex quo Galli primùm quidem *Zelous* & *Zalous* deduxerint, deinde verò mutata litera *z* in *i* conſonantem, *Ialous* dixerint.

Sunt etiam quædam vocabula quæ ex Græco ſermone in Latinum (eum quidem certè quo recentiores ſcriptores & præſertim eccleſiaſtici ſunt vſi) deinde ex Latino in Gallicum tranſierunt: ſed ita vt duo nobis pro vno vocabula produxerint. Ex il-

lis ſunt nomẽ *Scandalum* & verbũ *Blaſphemare*. nam ex nomine *Scandalum* fecimus *Eſclandre*, non minus quàm *Scandale*. quum tamen omnes in hoc Græcam illam originem ſtatim agnoſcant, at in illo pauci ſint fortaſſe qui eam agnouerint. Quinetiam multi ſunt qui vocem illam *eſclandre* idem in antiquiore lingua Gallica ſignificaſſe ſciant, quod in recentiore *ſcandale*. Sed quanuis vocem illam *Scandalum* appellarim cum vulgo Græcam, tamen dubitare me an Græco ſermoni adſcribẽda ſit, minimè inficior. Alteram autem vocem, verbum videlicet *Blaſphemare*, ex Græca lingua petitam eſſe conſtat, & veterem Teſtamenti noui interpretem pro βλασφημεῖν ea vſum eſſe. Nos certè ex hoc quoque vocabulo duo fecimus, *Blaſmer* & *Blaſphemer*. ſed in *Blaſmer* ſecundam ſyllabam per ſyncopen detraximus: quod non itidem in *Blaſphemer* fecimus. Ac quanuis βλασφημεῖν de quouis dicant Græci, quaſi βλάψαι φήμην (pro τὴν φήμην) id eſt, *bleſſer le renom*, ſiue *la renommee*: noſtro ſermoni placuit *blaſphemer* de Deo tantùm, at *blaſmer* de hominibus dicere. Quanuis autem hunc ipſum vſum in pleriſque Teſtamenti noui locis habeat βλασφημεῖν quem habet apud nos *Blaſphemer*, nec Latinè alio quàm quod

exGræco illo factum ſit verbo exprimi res illa & tam ſignificanter declarari poſsit: illi tamen, quorum à me ſæpe fit mentio, ſuperſtitioſi verbo *Blaſphemare* linguam Latinam inquinatum iri crediderint: idémq; & de *Blaſphemator*, ſiue *Blaſphemus*, & de *Blaſphemia* dixerint. Quod verò magis mirandum eſt, ne in ipſa quidem Teſtamenti noui interpretatione locus huic verbo datus fuit ab eo cuius & aliquanto antè memini. maluit enim vertere Impiè loqui. Sed hoc in eo qui ne angelorum quidem appellationem in ſuam interpretationem admittere voluerit, minimè mirari debemus.

Antequam verò huic de Græcis vocabulis in noſtram linguam receptis ſermoni finem imponam, lectorẽ monebo, quaſdam etiam voces in ea eſſe quas è Græca ſumptas negari non poſsit, (etiamſi primo aſpectu hæc origo minimè animaduertatur) quum tamen illa ipſa quæ in vocabulo noſtro cernitur vocum Græcarum compoſitio vix apud ipſos Græcos (in eadẽ præſertim ſignificatione) reperiri queat. Exẽplũ enim habemus in nomine *Becycle*, ſiue plurali numero *Becycles*. nam dictum eſſe *Becycles* pro *Bicycles*. eſſe autem *Bicycles* ex δὶς (aut certè ex *bis* Latino poſito pro δὶς)

& nomine κύκλος, ſtatim fatebitur quicunque qualis ſit illarum forma cogitabit. etiamſi vocabulũ iſtud δίκυκλος nullius ſcriptoris autoritate confirmari poſſet. Sed quod ad primam illius noſtri vocabuli ſyllabam attinet, ſi quidem facta ſit ex δὶς, in eo duarum Græcarum vocum compoſitionem eſſe, rectè dictum à me paulo antè fuerit: ſin verò facta ſit ex Latina particula *bis*, quæ idem valet quod Græca illa δὶς, ex duabus vocibus compoſitam eſſe dicendum erit, quarum vna ſit Latina, altera, Græca. Ne autem valde repugnem ei qui huic potius quàm illi compoſitioni aſſentietur, faciet noſtrum *Bigame*, quũ hoc itidem ſit ex particula *bis*, pro δὶς, & nomine γάμος. An autem *Bigamus* itidem pro *Digamus* (ex δίγαμος) receptũ fuerit, aliis quærendum relinquo. Nos certè & in alia voce tali compoſitione vſos eſſe addo, videlicet in *Biſſac*: ſed hîc vtraque vox ex vna eadémq; lingua, Latina videlicet, ſumpta dici poteſt. nam *Biſſac* ex *Bis* & *Saccus* compoſitum eſſe manifeſtum eſt, quum reuera nihil aliud ſit quàm duplex ſaccus. Niſi fortè quis particulam *bis* illi ipſi Gallicæ voci *ſac* (quæ etiam Hebraica eſt, ſicut σάκκος eſt Græca) iunctam eſſe dicere malit. Minus autẽ manifeſta in voce *Beſace* (quæ alioqui idem

idem ſignificat) eſt hæc compoſitio. Fuiſ-
ſe autem aliquando qui dixerint *Biſſacus*,
atque hinc manaſſe noſtrum *Biſſac*, non
abſimile vero eſt.

Vt autem ad voces illas redeam quas à
Græcis habemus, ſciendum eſt nonnullas
ab illis ad nos perueniſſe quas alioqui è
barbaris quæ pro Latinis habeãtur, factas
eſſe vulgus crediturum ſit. Ex earum numẽ-
ro eſt *Maſcher*. hoc enim neque ex barba-
ro verbo *Maſticare* (quod tamen hodie ple-
rique medici non refugiunt) neque ex Lati-
no *Manducare*, ſed ex Græco μασᾶσθαι fa-
ctum eſſe, neminem negaturum exiſtimo.
Ac profectò ex iis vocabulis quæ cum La-
tinis ſunt nobis communia, pleraque nos
ex ipſis fontibus hauſiſſe perſuaſum ha-
beo. Nec mirabitur quod dico qui noſtrã
linguam verbis Græcis plenam eſſe cõ-
ſiderabit, quorum in Latina ne vllum qui-
dem veſtigium extet: & quidem ita vt nõ-
nulla etiam quæ in ore vulgi ſunt frequẽ-
tiſsima, inde fluxerint: adeo vt vel horum
verborum quæ iuriiurando à Græcis ad-
hibebãtur, Νὴ Δία, & Μὰ Δία, & Ναὶ μὰ Δία,
manifeſtæ reliquiæ in Pariſiorum & qua-
rundam vicinarum vrbium ſermone ma-
neant. Fieri etiam poteſt vt quædam à Græ-
cis ſumpta, ſicut nobis, ita etiam Lati-

norum nonnullis in vſu fuerint, licet exẽpla minimè reperiamus. Sic *Colei* pro teſtibus (intellige autem virilitatis teſtes) Latinis, ſicut & nobis (qui aliquantum immutamus) in vſu fuit: ſed non omnibus, vt opinor. Fortaſſe tamen ipſiſmet Græcis ſuum vocabulũ in hac metaphorica ſignificatione minus etiam vſitatũ fuit quàm Latinis, & nobis, quanuis neutrorum ſit. Nullum certè ab iis quos habemus ſcriptoribus affertur huius ſignificationis nominis κολεὸς exemplum, quod ſciam: quum tamen alioqui κολεάζοντες & κολεασμὸς apud Heſychium pertinentem illuc ſignificationem habeant.

Quemadmodum autem antea dixi ex Græcis Teſtamenti noui nominibus ὑποκριτὴς & ἐλεημοσυνὴ eſſe Latina, *Hypocrita* & *Eleemoſyna*, & noſtratia, *Hypocrite* & *Aumoneſ* (idémq; & de aliis quibuſdã dicere potui, vt de Σχίσμα, *Schiſma*, *Schiſme*: necnõ de aliquibus quæ omnibus nota ſunt, vt Ἄγγελος, *Angelus*, *Ange*, priſco autem ſermone noſtro *Angel*: & Ἀπόστολος, *Apoſtolus*, *Apoſtre*, priſca autem lingua *Apoſtole*: & de nõnullis in quibus vox magis quàm ſignificatio ſeruata fuit: vt Ἐπίσκοπος, *Epiſcopus*, *Eueſque*: & Πρεσβύτερος, *Presbyter*, *Preſtre*: & Διάκονος, *Diaconus*, *Diacre*) ita etiam alias voces Græcas

quæ Teſtamenti noui ſcriptis poſteriores ſunt,& Latinam & noſtram formam ſumpſiſſe ſciendũ eſt.Sed in harũ nonnullis ſatis manifeſta deriuatio eſt: vt in *Synodus* & *Synode*,ex Συνοδος:& in *Archiepiſcopus* & *Archeueſque*, ex Ἀρχιεπίσκοπος:itidémque in *Archidiaconus* & *Archidiacre* (pro quo vulgus pronuntiat *Aſtiacre*) ex Ἀρχιδιάκονος : at verò in voce *Monſtier*, quæ maioribus noſtris in vſu magis fuit, minus aperta eſt talis è ſermone Græco deductio: quum tamen *Monſtier* ex *Monaſterium*, hoc ex μοναστήριον ortũ eſſe conſtet.Sed nimirum idem huic nomini Græco cõtigit in noſtra lingua quod verbo βλασφημεῖν (de quo antea dixi) vt duobus modis vſurparetur. Sicut enim ex βλασφημεῖν factum fuit primò *Blaſmer*, per ſyncopen, deinde & *Blaſphemer*,abſque ſyncope,à recentioribus: ita ex μοναστήριον,ſiue è Latino inde ſumpto *Monaſterium*, quum antiquus ſermo noſter feciſſet *Mõſtier*, poſtea & *Monaſtere*, voce illa minus immutata,ſimúlque ſignificatione propria ſeruata,dictum fuit:quum alterum illud nomẽ *Monſtier* templum ſignificet, & ita potius quàm voce *Monaſterium* reddere oporteat.

Sed vocabulum noſtrum *Moine*,à nomine *Monachus*,facto è Græco μοναχὸς, originem habere poſſe non videtur, quãuis

alioqui voce illa reddi & ſoleat & debeat. Miror verò vnde fiat vt quum *Monachus* ab omnibus recipiatur pro noſtro *Moine*, non itidem *Monacha* pro noſtra *Moineſſe*, (quæ & *Nonnain*) à cunctis admittatur, ſed à multis *Monialis uirgo*, ab illis autem qui omnino Latinè loqui vel potius Latinitate veteri vti volunt, *Veſtalis uirgo* appelletur. Vnde obſecro *Monialis* illud eſſe dicemus? aut cuius autoritate tueri poterimus? Suſpicor equidem, ex nomine *Sanctimonialis* vel *Caſtimonialis*, per aphæreſin priorum ſyllabarum, eſſe factũ: atque id ſuſpicabor donec apud aliquem è ſcriptoribus qui eccleſiaſtici vocantur, inuenerim. Illa autem, *Sanctimonialis* & *Caſtimonialis*, apud Auguſtinum aliquot locis leguntur: quinetiã in Codice Impp. hac poſteriori voce vtũtur. Sunt certè eodem modo facta, hoc ex *Caſtimonia*, illud ex *Sanctimonia*. Quid? an hæc eſſe Latina dicemus? Digna ſaltem eſſe Latinitate illa quæ apud eccleſiaſticos ſcriptores & in Codicis libris extat, negare non poterimus. Verùm quum noſtrum *Moine* ex Græco Μόναχος vix poſſe originem habere dixerimus, vnde ortum eſſe exiſtimabimus? An ex *μονιός*? at *μονιὸς* dictus eſt ſiue aper ſiue lupus qui ſe ab aliis ſegregat (vtendo hoc verbo Segregare in.

propria ſignificatione, iuxta eius à nomine Grex deductionem: vt ſi à voce Armẽtum deducatur Abarmentari) qui *ſoliuagus* dici poſſe videtur: vt Plinius *gregatim ambulantes* & *ſoliuagos* inter ſe oppoſuit, de elephantibus loquens, lib. 8, cap. 7. *Μονίας* verò Heſychio eſt eſt *ὁ νήφων*: quoniam (inquit) *τοὺς μεθύοντας δευτέρους εἶναι φαμέν*. qui nominis *δεύτεροι* vſus, eſt equidem obſeruatione dignißimus. Atque huc alluſiſſe Naſonem ſuſpicatus ſum aliquando (liceat enim huius in quo verſor ſermonis inſuauitatem aliquo illius poetæ loco condire) quum modicum circa ſua tempora vinum ſecum eſſe dixit. Vnde ergò lingua noſtra ſuum *Moine* ſumpſiſſe dici poterit? Omnino ex *μονίας* ſumpſerit neceſſe eſt, non illo tamen, id eſt, nõ eam illius vocis ſignificationem ſequẽdo, ſed eam qua poni *ἐπὶ τοῦ ἐρημάζοντος*, in meo Theſauro Græcæ linguæ docui. Sic autem & in quibuſdam aliis vocabulis quæ partim è Græco partim è Latino ſermone accepimus, literæ *ι* ſedem mutauimus.

Sed vt finem de illis recentioribus & eccleſiaſticis appellationibus dicendi faciam, ac me ad vetuſtas referam, monitum lectorem volo, videndum eſſe ne in quibuſdam vocibus Græcis quas cum Latinis

X.iii.

communes habemus, fallamur: quum Latini quidẽ vt vocem ita etiam ſignificationẽ Grecam retinuerint, at nos hãc mutauerimus. Ex illis eſt *Monopole*. nam licet in hac voce Græcã μονοπώλιον audiamus, qua Latini quoque ipſi vſi ſunt, non eandem tamen ſignificationem, ſed generaliorem habemus: quum *Monopole* non ſit tantùm coitio quorundam de vendenda re quapiam certo pretio, licet iniuſto: (quippe quòd ipſi ſoli ſint eius venditores) ſed quęuis alia de qualibet alia re coitio. Græcos verò & Latinos eo ſuperamus quòd verbum etiam fecerimus ex illo nomine. Dicimus enim *Monopoler*, pro *Faire un monopole*, vel *des monopoles*. vbi verbo *Coire* vti poſſumus. Quinetiam dicitur *Monopoleur*. Eodémque ſenſu dici videtur *C'eſt un monopoleur*, quo dicitur, *C'eſt un faiſeur de menees*. Vbi non malè fortaſsis vtemur adiectiuo *Factioſus*. Ad eandem certè rem apud Latinos pertinent, *Coitio*, *Conſpiratio*, *Factio*: ſicut apud nos *Monopole*, *Menee*, *Complot*. Ac quanuis tria illa Latina ad eandẽ quidem rem pertineant, non eadẽ tamen ſint, Tertullianus vno eodémque loco tribus his vtitur, *Coire*, *Conſpirare*, *Factio*: ſcribens in Apologetico, *Quum boni coeunt, quũ pij, quum caſti congregantur, non eſt factio dicenda,*

ſed curia. At *è contrario illis nomẽ factionum accommodandum eſt, qui in odium bonorum & proborum conſpirant.* Sed tamen *Conſpirare* & *Conſpiratio* dicuntur potius de conſiliis quæ ad maiora quædam & maioris momenti auſa agitãtur: itidémque apud nos *Conſpirer* & *Conſpiration.*

In eorum quæ dixi numero vt poſui noſtrum *Monopole*, ſic etiam noſtrum *Braue* ponendum eſt: quum ſit è Græco βραβεῖον, & tamen non ſignificet βραβεῖον, ſed potius *Faire le braue*, ſiue *Brauer*, ſit Exultare & ſe magnificè efferre (vt Terentius loquitur) eius more qui brabiũ eſt adeptus. Quod autem mirum videri poſsit, vetus Teſtamenti noui interpres verbũ βραβευέτω non aliter reddit, Epiſt. ad Coloſſ. cap. 3, quàm ſi βραβεύειν ibi ſonaret, quod dicimus *brauer*. Hæc enim Apoſtoli verba, καὶ ἡ εἰρήνη τοῦ Θεοῦ βραβευέτω ἐν ταῖς καρδίαις ὑμῶν, reddit, *Et pax Chriſti exultet in cordibus veſtris.* Addi verò poſsit his vocabulis & noſtrum *Dragee*. Eſt enim ex Latino *Tragemata*, (niſi fortè ex ipſo fonte hauſimus) hoc ex Græco τραγήματα: ſed quũ hæc vox quæuis bellaria ſignificet, ſiue cibaria quæ ſecundis menſis apponuntur, noſtrã contrà de vno tantùm genere dici videmus.

Qvaedam etiam ſunt in noſtro ſer

mone nomina, quæ licet à Græca lingua originem habeant, ſi tamen appellatione Latina (id eſt, quæ Latinam terminationē habeat) à nobis ficta ea imitemur, barbari fuerimus. Exempli gratia, ſiquis pro *Almyral* dixerit non *Thalaſſiarcha* vel *Thalaſſiarchus*, ſed *Almyralius*, is certè *βαρβαρίζει*: etiamſi minimè dubiū eſſe videatur quin illud noſtrum nomen ſit ab *ἁλμυρὸς* deductum: & credibile ſit recentiores Græcos *ἁλμυρὰ* ſubſtantiuè pro ipſo mari dixiſſe: vnde commodior etiam eſſet deriuatio. Scio alioqui eſſe qui tradant à voce *Emir*, quæ Mauris thalaſsiarchum declaret, eſſe à nobis deductū. Nec ignoro eſſe qui à quadam Arabica voce originem habere tradant: non minus ſtultè profectò quàm qui *Almanach* Arabicum eſſe volunt, aut Chaldaicum: quum in lingua Germanis vernacula paſsim occurrant illæ ex quibus conflatum eſt hoc nomen voculæ. quum enim aliquid narraturi, tēpus quo id acciderit, præfigunt, dicere ſolent, *Als man nach der geburt Ieſu Chriſti unſers ſeligmachers gezelt hat* 1560 *uel* 1570, aut quicunque alius annorum numerus ponendus eſt. Sonāt autē hæc perinde ac ſi dicas, *Quum poſt natiuitatem Ieſu Chriſti noſtri beatificatoris numeratum fuit* 1570. Ex iis certè quibus hanc meam

deriuationē cōmunicaui, nemo à me diſſenſit: neq; verò quenquam ex iis qui eam hîc legent, diſſenſurum exiſtimo: quinetiā miraturos multos quomodo in quærendo tam procul vocis huius etymo non pauci ſe torſerint: propoſita interim quæſtione quæ perdifficilis videbatur, vtrum *Almanach* an *Armanach* dicendum eſſet.

Vt autem ad rem redeam, alia etiā ſunt nonnulla (& quidē non tantùm ex iis quæ certi muneris ac certæ dignitatis ſignificationem habent, ſed cuiuſlibet rei cuius frequenter mentio incidit) quæ quum è Græco ſermone ſumpta ſint à nobis, in iis exprimendis vocabulo Græco, à quo noſtrū eſt oriundum, vti poſſumus: at ſi Latina itidē voce ex eo facta vtamur, barbarè loquamur. Exēpli gratia, ſi pro iſtis verbis Gallicis, *A ma phantaſie*, his vtar Latinis, *Phantaſia mea*, vel *Meo phantaſmate*, meritò ab omnibus βαρβαρίζειν dicar: at τῷ ἐμῷ φαντάσματι ſi certis quibuſdā locis dicere libuerit, me eodem modo quo Plato ἑλληνίζειν contendam. Quòd ſi quis fidem mihi non habeat, adeat illius Cratylum, pag. 386, meæ editionis, ac præcedentia pariter & ſequentia (ſi opus eſſe videatur) expendat: tum certè fatebitur τῷ ἡμετέρῳ φαντάσματι poſſe reddi *A noſtre phantaſie* (vt quidem

certis locis vocẽ hãc *phantaſie* adhibemus) nec obſtare quicquam poteſt quòd aliqua imaginationis ſignificatio illo ibi includi videtur. Sed & datiui φαντασίᾳ hunc inueniſſe vſum mihi videor. Hoc quidem certè conſtat, φαντασίαι alicubi noſtro *Phantaſies* reſpondere. Quod autẽ ad φάντασμα attinet in ſpectri ſignificatione, inuenitur quidem & in Latina lingua, ſed multo frequẽtius magíſque vulgare nobis eſt *Phantaſme*, ſiue *Phantoſme*. Sic verò pro noſtro *Throne*, ipſa Græca voce θρόνος, quàm Latina *Thrónus* vti, tutius fore videtur. Quid ſi verò verbum *Inthronizer* inde factum exprimendum ſit? Nimirum *Inthronizare* barbarũ fuerit: at ſi ad linguam ex qua ſumptũ nomen illud fuit, confugiamus, ibidem ἐνθρονίζειν, cui noſtrum reſpõdet, inueniemus. Quod autem in his, idem & in aliis pleriſque vocabulis noſtris faciendum fuerit.

Quinetiam nõnulla ſunt vocabula quæ Græci à Perſis aut aliis barbaris, Latini à Græcis, nos à Latinis accepimus. Inter quæ ſatis notum eſt noſtrum *Tapis*. Sed dubitari tamen poteſt an nos ex Latinis potius quàm ex ipſiſmet Græcis ſumpſerimus: quũ non vtamur appellatione illa τάπης, ſed altera, τάπις videlicet, per ι. At verò δάπις Latinis, ſicut & nobis, fuiſſe videtur

incognitū. Aptè profectò illi nomini τάπης ſubiungetur μανδύα, quod itidem Perſicum vocabulum eſt: & pro quo ſcribitur etiam μανδύη. Neq; enim dubiū eſſe poteſt quin Latini hinc *Mantelum*, & nos ex hoc *Mantelum* fecerimus noſtrum *Manteau*. Nouam porro nobis eſſe non ſinunt literæ δ in τ mutationem cùm aliæ voces, tum verò illa quam modò vidimus, τάπης pro δάπης. Nos autem viciſsim ex τραγήματα, vel potius *tragemata*, fecimus *dragee*, de quo paulo antè dictum fuit. Ignoſcendum igitur eſt illi monacho qui noſtrum *Manteau* ex Græco nomine ἱμάτιον originem habere tradidit: quum μανδύα non minus incognitū illi eſſet quàm ſi ad eum vſque diem in Perſide delituiſſet.

Inueniuntur etiam quædam linguæ illius quæ hodie Græcis eſt vernacula, in ſermone noſtro vocabula: & quidem immutata aliquantum in nonnullis ſignificatione. ex quibus eſt ἀῖζα, vnde noſtrū *Anche*, vel potius *Hanche*. Verùm non ſolùm ἀῖζα, ſed etiam ἄιτα affert Euſtathius. Quanuis autem nos ab illis ſumpſiſſe vocem noſtrã dixerim, videndum eſt tamen annon potius illos à nobis ſumpſiſſe dicendum ſit, ſicut & Hiſpanos à nobis eam accepiſſe exiſtimo: (qui enim credibile ſit nos cōtrà

hanc ab illis eſſe mutuatos?)ſed Hiſpanis vt eadem eſt vox (præterquam quòd tenui pro aſpirata vtuntur) ita etiam eadem ſignificatio: quum illa voce Græca non eadem quæ à nobis & Hiſpanis pars corporis ſignificetur, ſed vicina.

Huic tandem ſermoni finem imponam, ſi tantùm addidero, me, quum de iis vocabulis mentionem facerém, quæ quũ apud Latinos, ſicut & apud Græcos eorum autores, inueniantur, dubium eſt ab vtris ad nos peruenerint, & an ex ipſo fõte potius quàm è riuo ea hauſerimus, oblitum eſſe exempla quorundã proponere in quibus literam eandem eodem modo immutauimus. Poſſunt autem afferri cùm alia, tum verò *Orphelin* & *Poupelin*. ſunt enim ex *ὀρφανὸς* & *πόπανον*: quum tamen Latini *orphanus* & *popanum*, ſeruata litera N, eodem quo Græci pacto dixerint.

Imò verò prius quàm illi ſermoni finem imponam, addam hoc quoque, multa eſſe in noſtro ſermone quæ Græcis vocabulis non vocem ſed compoſitionem ſimilem habentibus, aut certè *ἰσοδυναμοῦσιν* illi compoſitioni, exprimi à nobis queant. Huiuſmodi eſt *ἀδυνάτος*, pro noſtro *impotent*. Tale eſt *τραπεζοκόρος*, de paraſito, apud Phocylidem,

Μηδὲ τραπεζοκόρους κόλακας ποιεῖσθαι ἑταίρους.

eodem enim modo nos paraſitum vocamus *Vn tondeur de nappes*. Ex eo numero eſt etiam ὀρθοποδεῖν, apud D.Paulum. tali enim & nos metaphora dicimus *Chemıner droit*. vel, *Marcher droit*. Vel, *Cheminer de pied droit*. Ex illis eſt apud eundem & εὐπροσωπεῖν. ſic enim & nos dicimus *Faire bonne mine*. Neque omittendum μεγαλομήτηρ, ita dictũ vt à nobis *Grand-mere*, vel *Mere-grand*. Alia autẽ huc pertinentia vocabula, quinetiam loquendi genera, in libello meo reperientur, quem Gallicè ſcripſi de Gallici ſermonis cum Latino conuenientia.

De uocabulis quibuſdam Gallicis, quæ orta ſunt è barbaris, aut ſaltem recentioribus, & ſuſpectis quod ad Latinitatem attinet. Item, De aliis nonnullis quæ Latinitati propiora ſunt quàm plerique exiſtiment. Item, De quibuſdam quæ Latini olim ex priſco ſermone Gallico acceperunt. CAP. VIII.

A Græcis vocabulis, tum quæ nobis cum Latinis ſunt communia, tum aliis, ad Latina redeundum mihi eſſe video: niſi plurima quæ memoria

ſuggerit, non ſine lectoris damno, velim prætermittere. Quanuis igitur antea dixerim verbum noſtrum *Maſcher* falsò credi ex barbaro *Maſticare* ortum, quum à Greco μασᾶσθαι originem habeat, non negauerim eſſe in ſermone noſtro vocabula nõnulla quæ facta ex huiuſmodi vocibus fuerint, barbaris videlicet, aut ſemibarbaris ſaltem, & quarum Latinitas meritò ſuſpecta eſſe poſsit. Atque hîc recordor nominis noſtri *Outarde*, de quo contrà quàm de verbo illo *Maſcher* dicendum eſt: nimirum non ex Græco vocabulo Ὠτὶς (quaſi facto illius nominatiuo ex huius accuſatiuo Ὠτίδα, cum alia etiam immutatione) ſed ex duabus Latinis vocibus *Auis tarda* prouenisse. quæ tamen appellatio ſi nõ barbara (quum duabus vocibus conſtet quæ verè Latinæ ſunt) at certè recentioris Latinitatis eſſe exiſtimatur. Sed appellationẽ illam, qualiſcunque ſit, Gaza non refugit. Apud eundem verò legitur & *Formago*, vnde noſtrum *Formage*, ſiue *Fourmage*.

Ex *Minare* pro *Ducere*, nos mutuatos eſſe noſtrum *Mener*, ſatis conſtat: ſed an Latinum itidem ſit hoc *Minare*, quæſituros eſſe multos non ignoro. Ego certè Latinitatis nouiſsimæ (qualiſcunque ſit hæc) aut ſaltem recentioris, eſſe arbitror: ſic ta-

men vt fallantur qui ſcriptoribus eccleſiaſticis eſſe peculiare tradunt: quum apud Feſtum & Auſonium inueniatur. Feſtus enim, *Agaſones* (inquit) *equos agentes. id eſt minantes.* Idem, *Agere* (inquit) *modò ſignificat Ante ſe pellere. id eſt minare.* Auſonius autem de Myronis bucula,

Necdum caduco ſole iam ſub ueſpere
Ageret iuuencas quum domum paſtor ſuas,
Suam relinquens, me minabat ut ſuam.

Sed temporis ſuperioris editiones pro hoc *minabat* habent *monebat*, nimirum ἐκ τῆς παραδιορθώσεως eorum quibus verbum illud *minare* ignotum erat. Neque tamen vetus Bibliorum interpres ſuis lectoribus eam incognitam eſſe ſinit.

Sciendum eſt autem, ex hoc interprete, necnon ex ſcriptoribus eccleſiaſticis, alia etiam in ſermonem noſtrum manaſſe, quibus itidem nonnulli tanquam Latinis (terminationem Latinam illis reddendo) vtãtur. Atque vt ex his quædam barbara eſſe negari non poteſt, ſic etiam eſſe quæ falsò barbariei ſint ſuſpecta, fateri oportet. Vidi certè qui vocem *Corrigia* nihil minus quàm Latinam eſſe, & non alibi quàm apud hunc interpretem, aut aliquem ex ſcriptoribus eccleſiaſticis, inueniri putarent: quum tamen hæ quoque appellationes

corrigia & *ſaccus* ipſius etiā Ciceronis ſcriptis nobilitentur. *Cremium* etiam falsò ſuſpectum longo tempore apud eum fuit, quòd Columellam & quoſdam alios eo vſos eſſe ignoraretur. Verbum *Fornicari* quanuis in Latinitatem minimè recipiendum exiſtimetur, eſt tamen è nomine valde Latino factum: quo vſus eſt etiam Horatius quum *olenti in fornice ſtantem* de meretrice dixit. Alioqui certè longè alio ſenſu dixit Plinius *palmā fornicari*, & Seneca *lapidum fornicationem*. In *fornicis* autem mētione recordatus ſum nominis *Camera*, ex quo fecimus *Chambre*, pro *Cambre*: quum alioqui *camera*, ex καμάρα, ſit potius idem quod illud *fornix*. Neſcias tamen an ex *Camera* dicto à quibuſdam recentioribus pro cubiculo, fecerimus illud noſtrum *Chambre*, an ex huius Gallici imitatione, præſertim verò ſine aſpiratione ſcripti, illi vocabulum iſtud vſurpauerint. Eſſe autem eadem de aliis quoque multis poteſt dubitatio. Interim verò non omittam, quod ad hanc ipſam vocem attinet ſine aſpiratione ſcriptam (ſicut *cat*, & *candele*, & *kien*, dicunt Picardi, pro *chat*, & *chandele*, & *chiē*) habere etiam vſum à Latina nominis *camera* ſignificatione ſumptū: quum videlicet *Cambre* pro *Curuus*, atque inde verbū

Cambrer

cambrer, quaſi *camerare*, pro *curuare* dicimus.

Noſtrum quoque vocabulum *Tumbe* ex *Tumba*, quod etiam inter barbara numerandum videtur, potius quàm ex τύμβος factum puto: quũ fœminini generis ſit *Tũbe*, ſicut *Tumba*. Eſt tamen hoc nomine vſus quidam non parui nominis in vertendo quopiam ex Græcis epigrammatibus. Sed eum aliis eo vtentibus (vt ſæpe fit in rebus huiuſmodi) fidem habuiſſe, potius quàm ex ſcriptore vllo fide digno deprompſiſſe exiſtimo.

Quædam etiam habemus animalium nomina, quæ ſi non è vocibus planè barbaris, at certè ex recẽtiore Latinitate (qualiſcunque illa erat) petitis, manaſſe videntur. Sic noſtrum *Eſturgeon*, ex nomine *Sturgio* factum eſſe, aliáque itidem piſciũ quædam & auium nomina inde ad nos veniſſe conſtat. At de *Catus* ex quo ſumpſimus noſtrum *Cat*, deinde *Chat*, quid dicẽdum eſt? In vno quidem certè ex Lexicis quæ cũ Gloſſariis veteribus ſunt à me excuſa *Catus* traditur eſſe Græcorum αἴλουρος: ſicut & *Catelli* piſces, γαλεοί. Eſt autem γαλεοὶ ex γαλῆ factum, quæ *felis*, ſicut & αἴλουρος, apud Græcos eſt appellatio. Verùm vt γαλῆν quidam *Muſtellam* alicubi interpretati ſunt,

vbi alii *Felem*, ſic etiam γαλεοὶ, qui ab hoc *Catelli*(diminutiuo ex illo *Catus* facto) ab aliis *Muſtelli* vocati fuerunt. Commodùm autem nouæ huius animalis appellationi noua parui etiam illius cui hoc inſidias perpetuò meditari ac moliri videmus, appellatio ſubiungetur. Eſt enim ibidem *Surix* expoſitum μῦς. Quod nomen *Surix* ſi locum apud nos, tanquam Latinum, obtineret, illo ignorantiæ crimine lingua noſtra abſolueretur, quòd nomen *Sorex* malè de mure intellexerit, & ex illo *Soris* ſiue *Souris* (vt alii pronuntiant) fecerit.

In eodem opere *Cloppus* redditur χωλός. Ex illo autem *Cloppus* non dubiũ eſt quin noſtrum *Eſcloppé* originem habeat. Ibidem eſt *Cupillum*, ex quo dixerim itidem manaſſe noſtrum *Guepillon*, pro quo alii pronuntiant *Guipillon*. Ibidem eſt etiam *Baro*, redditum ἀνήρ. quod ſi ſit pro marito dictum (id eſt pro ὁ ἀνήρ) hæc interpretatio cum eo vſu quem Picardi tribuunt ſuæ voci *baron*, omnino conueniet. In eodẽ opere eſt *Sapinus*: ſed ne hoc barbarici itidem ſuſpectum ſit, obſtat Plinii autoritas.

Ad alia duo vocabula venio, ſed propter quæ honorem auribus præfari neceſſe mihi erit, vt in vno ex illis quæ attuli è priſca Latinitate, me præfatum memini. Sicut

enim ibi nominis *Foria* mentionẽ feci, vnde eſt noſtrũ *Foire*, ita hîc nominũ *Struntus* & *Viſſium* mentio facienda eſt. Neque tãtùm *Struntus* ſed etiam *Strundius* ibi ſcriptum eſt: addita hac interpretatione, ἀπόλεθος. Nec non vt nomen *Viſſium* ita & verbũ *Viſſo* ibi legitur: & illius quidẽ interpretatio eſt βδίσμα, huius autem, βδέω. Aliquid autem de his vocabulis adderem, niſi lectori diſſolutionem ſtomachi, ob longiorem in malè olẽti loco commorationem, metuerem.

Hoc certè fatendum eſt, multas eſſe nobis voces quas dubium fuerit an ſermo noſter ex vocabulis partim barbaris, partim ſemibarbaris, ſumpſerit, an hæc contrà ex illis in ſermonem noſtrum manauerint. Quòd ſi quis multa videre vult quæ ex Gallicis facta credibile eſt, is librum illũ quo leges Allemannorum, Saxonum, Boioariorum, Langobardorum, & quorundam aliorum, continentur, in manus ſumat. Malo enim lectorem eò remittere, quàm hûc meum librum multis quæ ibi ſunt vocibus inquinare: præſertim quum verear ne, ſi ſemel in vaſtam illam vocum barbararum voraginem ingrediar, non facilè emergere poſsim. Illic certè non *Caballus* tantùm, quod nemo Latinum eſſe negare poteſt,

reperiet: ſed etiam (ad augendam linguam Latinam ſcilicet) *Caballicare*: ſicut nimirum nos ex nomine noſtro *Cheual*, fecimus *Cheuaucher*. Neque verò *Pretium* tantùm, ſed *Appretiare*, vt dicimus *Appretier*, inueniet. Quinetiam *Plagare* verbum ex nomine *Plaga* factum idem liber illi exhibebit. Sed quædam ſunt his admiſta, de quibus ſiquis iudicium idem tulerit, longè falletur. Nam ibi vt *caballum* immeritò quis reprehenderet, tãquam barbarũ, (licet de vili potius equo poſt priſcæ Latinitatis tempora dictum fuerit) ſic etiã *carrucam* haud iure ſuſpectum haberet. Quinetiam *Batuere* ſiquis Latinum eſſe negaret, is ſe Latinitatis non ſatis peritum eſſe oſtẽderet. Idem verò & de *Inuolare* dici poteſt, pro quo nos ſimplici *voler* vtimur: vnde *voleur*, quod & *Brigand*. Licet enim dicere, *Inuolare in alicuius bona*, pro *Voler les biens d'aucun*, præſertim quum noſtro hoc verbo de eo etiam vtimur qui alio quàm prædonis modo expilant. Sed in eo libro Latini iſtius verbi cõſtructio non retinetur. Atque hîc alius verbi noſtratis, quod huic voce, ſed non ſignificatione ſimile eſt, recordor, nimirum *Conuoler*: quotidie enim hoc loquendi genus ex ore illorum qui ſtylũ forenſem in deliciis habẽt, audimus, *Conuoler à ſecondes noces*, vel *en ſecondes no-*

es. Quòd ſi nos itidem *Conuolare ad ſecundas nuptias* dixerimus, eo verbo vnde profectum eſt illud noſtrum vtemur. Sed *Inuolare* illud aliam originem habet, nimirũ à vola manus. Ad verba autem illa vt reuertar, quæ non temerè illo in libro barbariei inſimulãda ſunt, licet barbaris multis permiſta, an *Porcarius* & *Vaccarius* quæ aliquoties ibi legũtur, hoc in numero ſint habẽda, meritò dubitabitur. *Porcarius* certè in ea ipſa ſignificatione legiſſe mihi videor. quòd ſi hoc Latinum ſit, illud quoq; Latinũ eſſe neceſſe eſt (nõ minus quàm à Latinitate admittitur *Caprarius*.) Quòd verò ibidem eſt *Berbix* pro noſtro *Brebis*, minus miratus ſum poſtquam alibi legi & *Berbex*, item *Verbix*. hæc enim omnia ex mendoſa illa literæ *u* in *b* mutatione (cuius exempla multa Gloſſaria etiam illa vetera, quorum antea memini, ſuppeditãt) profecta eſſe manifeſtum eſt: quum Latinum *Veruex*, primùm in *Berbex*, deinde in *Berbix* transformatum fuerit: vnde tãdem ipſi fecimus *Brebis*. Quòd ſi quidam inter barbara vocabula gradus conſtituendi ſunt, & quædam pro ſemibarbaris tantùm habenda, illud quoque *Plagare* in his numerari poterit: quum mater eius *Plaga* ciuis Romana fuerit. Sicut autem ex nomine

Vulnus dicitur *Vulnerare*, & *Verberare* ex *Verber*, item *Depalmare* ex *Palma*:ſic *Plagare* ex *Plaga* dici poſſe illi boni viri ab omni circa Latinitatem ſuperſtitione alieniſsimi exiſtimabant.

Nonnulla ibidem ſunt adiectiua quæ apud alios etiam, ſed recentiores & ipſos, reperiri queãt. Ex quibus eſt *Culpabilis*, vnde fecimus noſtrum *Coulpable:* quum dicimus, *Il eſt coulpable.* pro quo Latinitas pura diceret, *Eſt in culpa.* Sed & contrario *Inculpabilis* ſcriptores eccleſiaſtici, poſt veterẽ Bibliorum interpretem, vtũtur. Equidem apud Lactantium Firmianum (cuius tamẽ ſermonem non vltimum in Latinitate locum tenere ſcimus) non magis adiectiua *Culpabilis* & *Inculpabilis* mirarer, quàm aliquot quibus vtitur: ex quibus eſt *Exorbitans*, vnde noſtrum *Exorbitant*. Ac ne noſtrum quidem *Enorme*, quod ſimilem huic ſignificationem habet, nullius Latini ſcriptoris autoritate defendi poteſt, ſiquis ipſo, terminationem Latinam ei tribuendo, vti voluerit.

Ex his iudicet lector, quãuis ad multas voces barbaras nos ſermo noſter deducat, ſi ipſum imitari velimus, quàm periculoſum ſit temerè de quibuſdam pronuntiare, & quàm multæ falsò ſuſpectæ ſint plu-

rimis, qui in paucorum tantùm ſcriptorũ lectione ſunt verſati. Sed ego non is ſum tamen qui lubenter huiuſmodi vocabulis vtar, quæ ſuſpecta fore, licet falsò, exiſtimem, vbi alia in promptu ſunt: ſed vbi aliis deſtituimur, non video cur adeo religioſi eſſe debeamus: ſic tamen vt quũ duo habemus, tanquam ex duobus malis minus eligendum eſſe dicam. Exempli gratia, pro eo quod dicimus *Modernes*, duæ ſunt voces quarũ periculoſus eſt vſus: vna ex qua noſtrum illud eſt profectum, videlicet *Moderni*: altera, *Neoteria*: ego hoc lõgè malim vti, quod certè per quendã terminationis νεωτερισμὸν factum eſt, ſed ex voce ſaltem quam Græcam eſſe negare nemo poteſt, nimirum ex νεώτερος: quàm altero illo *Moderni*, cuius planè incognita eſt origo. Alioqui, ſi autoritate (quantacunque eſſe ea poſsit) confirmanda hæc duo nomina ſint, vtro potius vti debeamus, in dubio erimus: quũ hoc Priſcianũ, illud Diomedem autorem habeat.

CAPITIS OCTAVI PARS SECVNDA.

A LATINITATE autem pura multa etiam habemus in quibus nos ei tã vicinos eſſe non animaduertimus. Quo-

tuſquiſque enim quum dicit *Antan*, ſe aduerbio vti ex duabus Latinis vocibus *ante annum* conflato animaduertit? Oſtendunt certè multi nequaquam à ſe hoc animaduerti, quum *Entan* potius quàm *Antan* pronuntiant. Sic *Herſoir* eſſe ex duabus Latinis *Heri ſerò*, multi non cogitant. Quinetiã ipſa dierũ hebdomadis nomina ſunt qui ex duabus Latinis vocibus conflata eſſe non perſpiciunt, nobis *di* appellantibus *diem*: ita vt *Lundi* ſit *Lunæ dies*: ſic *Mardi*, *Martis dies*, itidémque in ſequentibus: at *Samedi*, *Sabbati dies*: ad quas voces propius acceditur in iis locis vbi *Sambedi* pronuntiatur. Vt autem hîc *di* nobis valet *dies*, ſic etiam in *Midi*, quo vocabulo comprobamus illud grammaticorum dictum, appellari à Latinis *Meridies* quaſi *Medidies*.

Verùm vt à compoſitis ad ſimplicia tranſeam, plerique *Charme* eſſe *Carmen*, itidémque *Char* & *Charrette* poſſe dici *Carrũ* & *Carrucam* non vident. Multi etiam ſunt qui *Preuoſt* ferè Latinum eſſe non perſpiciunt, ex Latino *Præpoſitus* factum (tali mutatione *p* in *u*, qualis in *Sauon* ex *Sapo*) ideóq; perperam ab aliis *Prouoſt* ſiue *Prouuoſt* pronuntiari. Sic *Linge* eſſe *Linteum*, & *Aulne* eſſe *Vlnam*, & *Souliers* eſſe *Soleas*.

Habemus itẽ voces pro quibꝰ vti nobis

non Latinis ſolùm ſed etiam Græcis licet, quum par vtrarumque cum noſtris ſit affinitas, & ambigi poſsit ab vtra lingua ortæ fuerint. Ex iis eſt *Entrailles*. ſi enim pro *Entrailles* nolis *Inteſtina* dicere, aut *Exta*, aut *Viſcera*, potes affini Latina *Interanea*, affini etiam Græca vti, ἔντερα.

Iam verò & in pleriſque vocibus quarum prima litera eſt E, ſecunda eſt s, à Latinitate propius abſumus quàm putemus. Nam (vt quæ notiora eſſe poſſunt omittam) quum dicimus *Eſcrin*, in propinquo Latinam vocem quæ huic noſtræ reſpondet, habemus, quum Latini id appellarint *Scrinium*. Sic etiam pro noſtro *Eſcu*, habemus *Scutum*. Neque verò pro *Eſcuyer* (quod ex illo *Eſcu* deductum eſt) magis verear *Scutarius* dicere quàm *Scutifer*, vbi prima huius Gallicæ vocis ſignificatio exprimenda fuerit. Sic pro *Eſcriuer*, id eſt, eo qui ſcrinia cõficit, audacter *Scriniarius* dixerim: etiamſi *Scriniarij* dicti fuerint & illi qui ſcriniorũ, in quibus chartæ reponebãtur, erant cuſtodes. A quibus chartis *Chartularij* etiam vocati ſunt. Atque vt *Scutum* nobis in prõptu eſt pro noſtro *Eſcu*, ſic *Scutella* (quod tamen multi Latinum eſſe non credant) pro noſtro *Eſcuelle*. In hoc numero poni poſſunt *Scopæ*, pro noſtro *Eſcouuettes*. item *Stramen*,

pro noſtro *Eſtrain*. Item *Scintilla* pro *Eſtincelle*: vnde *Scintillare* pro *Eſtinceller*. Sed quę dam etiam ſunt multo magis à nobis immutata, ita vt minus aperta ſit illa deductio: quale eſt *Eſcueil*, ex *Scopulus*. Non eſt autem omittendum, quædam eſſe quæ duobus modis proferantur, nimirum præfixis literis *e* atque *ſ*, & abſque his: vt *Eſtourbillon* & *Tourbillon*, ex nomine *Turbo*. verùm quin vox Latinæ vicinior alteri præferenda ſit, nulli dubium eſſe poteſt.

Quinetiam nonnulla ſunt quorum deductio vix animaduertitur, quum alioqui illis ſimilium deriuatio perſpici facilè poſſit. Nam quum hæc in quibus eſt *i* conſonans, *Saie*, *Simie*, *Vendemie*, vel *Sage*, *Singe*, *Vēdenge*, orta eſſe ex *Sapiens*, *Simia*, *Vindemia*, manifeſtum ſit, multi non itidem vident noſtrum *Serient*, ſiue *Sergent*, valde propinquum vocabulo Latino eſſe, videlicet *Seruiens*. Atque hîc recordor adiectiui nominis *Tenuis*, pro quo nos dicimus *Tenuis*, mutata *u* vocali in *u* conſonãtem: perinde ac ſi *tenuis* eſſet diſſyllabum. Nobis autem ad hanc mutationem velut præiſſe videtur Maro, quum itidem *tenuis* diſſyllabè & *tenuia* triſſyllabè (niſi alieni pedes in eius poeſin introducãtur) nimirum litera *u* facta conſonante, dixerit. Alicubi etiam

u conſonantem mutauimus in *g*: vt in *Vaſtare*, quũ ex eo fecimus *Gaſter* (pro *Vaſter*) & quidem propriam Latini illius ſignificationem retinentes: quum dicimus *Gaſter le pays*. At quum ex Latino *Vagina* fecimus *Gaine*, detraximus illam conſonantem *u*, & literam *g* in locum eius tranſtulimus. Tales autem literarum alicubi detractiones, alicubi tranſpoſitiones aut permutationes, conſideratæ, facilè nos è Gallico ſermone ad Latinum deducunt. vt *Tuyau*, ex *Tubus*, & *Muy*, ex *Modius*: illic ablato *b*, hîc *d*. Atque vbi duplex eſt vox Gallica, aliis aliter eam efferentibus, animaduerſa eius origo litem dirimit: vt in *Creneaux*. ita enim pronuntiandũ, nõ *Kerneaux*, nec *Carneaux*, oſtendit *Crena*. Sic in *Grenier*. malè enim à quibuſdam dici *Guernier*, oſtendit *Granarium*: vt taceã ex *Graın*, quod ſonat *Granũ*, id poſſe cognoſci. Sed in quibuſdã mutatio cum ſyncope deriuationem illã vix cerni ſinit. vt in *Grille*, ex *Craticula*: quaſi ex hoc faciendo *Cricula*, deinde *Gricula*: hinc autem noſtrum *Grille* (pro quo & *Gril* dicimus) deriuando.

Hoc quoque obſeruandum eſt, in quibuſdam nominibus noſtris terminationẽ etiam quæ minimè Latina videatur, Latinam tamen eſſe, id eſt ex Latina factam, &

ad hanc proximè accedere. veluti quum dicimus *Iuuenœau*. Plurimi enim qui pro *Ieune* à Latinis dici *Iuuenis* optimè norunt, non itidem pro *Iuuenœau* dicere *Iuuencus* auſint: at illi quoties ita loqui volent, ſe Horatium habere autorem ſciant.

Alicubi autem pro noſtra voce vulgus barbara quadam quæ ex noſtra eſt efficta vtitur, quum in propinquo Latinam habeant. veluti quum pro noſtro *Regiſtre* dicitur *Regiſtrum*. nam quin *Regeſtum* cum bona Latinitatis venia vocemus, nihil vetare videtur: quum ſic à Fabio *res regeſtæ in commentarios* dicantur.

Neque verò omittendum eſt, nobis interdum Latini vocabuli ſignificationem ex quopiam ei affini quod in noſtra vel alia lingua vernacula manſerit, certius cognoſci. Italicam auté potiſsimum linguã noſtræ hac in re adiungo: & in exemplum cùm alia nomina affero, tum verò *Molo*. nam *Moles* peculiari quadam & minus vulgari ſignificatione Latinis eſt quod Italis *Molo*. Quædam verò ex Latina retinuerunt, quæ in noſtro ſermone non itidem manſerunt. Ex illis eſt nomen *Cambio*, & verbum *Cambiare*. Legimus enim apud Priſcianũ, *Cambio*, *ἀμείβομαι*, *ponit Chariſius*, & *eius præteritum Campſi*: *quod ἀπὸ τοῦ κάμπτω*,

ἔγκαμψα Græco, *eſſe uidetur.* Vnde *&* Campſo, *campſas, ſolebant uetuſtiſſimi dicere.* Ennius *in* 10, *Leucatem campſant.* Verùm ipſi quoq; in quibuſdam quæ à Latinis ſumpſerunt, valde ſignificationẽ immutarũt: vt in *Pedãte.* nõ enim ex *πῶς* (vt opinor) factũ eſt, ſed ex eo qui *Pedaneus iudex* vocatus fuit. In nonnullis autem eodem vtrique modo ſignificationem Latinæ vocis mutauimus: veluti quum miſerum ſeu miſerandum aut miſerabilem declarare volentes, dicunt *Il poueretto*, ſicut nos *Le poure hõme*, vel *Le poure garſon*: aut aliud ſubſtantiuum addentes. Dicunt etiam *Il meſchino*, ea ſignificatione: at nobis *Meſchine*, ſeu *Mechine*, ancillam ſignificat, & quidẽ appellatione priſca, quam Picardi retinent. Quædam verò ex Græco ſermone ſumpta illis nobiſcum ſunt cõmunia: vt *Borſa* pro crumena, ſicut nobis *Bourſe*, ex *βύρσα*. Vtrum autem quum nos à Græcis ea ſumpſiſſemus, à nobis poſtea illi acceperint, an potius ex eodẽ quo & nos fõte hauſerint, dubium eſſe poteſt. præſertim quum & alia Italos à Græcis habere negari non poſſit. Atque horum eſt *Bãbino*, ex *βαμβαίνω*, vt opinor: item *Bocale*, ex *βαύκαλις*, potius quàm ex *Bocca.* Sed in illius nominis *βύρσα* mentione, ex quo noſtrũ *bourſe* deduximus, cogitare cœpi de eo

Fouiller à la bourſe: ſimúlque in mentẽ mihi venit, credibile eſſe *folliculum* de illo etiam ſacculo in quo nummi reponerentur, dictum fuiſſe, quum nos verbo *fouiller* inde deriuato ita vtamur. Hoc autem ad id pertinet quod dixi, à voce vernacula interdũ ad cognitionem alicuius rarioris ſignificationis vocabuli Latini deduci. Iſti ſermoni hoc quoque addam, quod mihi in memoriam reuocauit nomẽ *Meſchine*: priſcum ſermonem noſtrũ multo plura quàm nunc in vſu ſint ex Latino ſermone ſumpta vocabula habuiſſe. Sicut enim *Ancelle* ex nomine *Ancilla*, & *Chartre* ex nomine *Carcer* (quorum alibi mentionem feci) ita etiam *Engin* ex voce *Ingenium*, (ex quo *Engin* manſit cõpoſitum *Mal-engin*) maiores noſtri dixerunt. Apud illos erat & *Pampre* pro *Pampinus*: necnon *Tempre* pro *Tempori*, ſiue *In tempore*: quorum vtriuſq; aliquis hodiéque nonnullis in locis eſt vſus. Dictum ab illis fuit etiã *Bolay* ex nomine *Boletus*: necnon *Lus* piſcis ex *Luſcius*. Ac de nominibus quidem hactenus.

Vt autem de verbis quoque aliquid à me dicatur, ſciendum eſt nonnulla noſtratia multo viciniora eſſe Latinis quàm videantur: ita vt ab iis facilè ad Latinitatem deducamur. Tale eſt, *Ourdir la toile*, *Ordiri*

telam. Item, *Pondre*, *Ponere oua*: & *Eſclorre*, *Excludere*: quum *Cludere* (pro quo potius dicitur *Claudere*) ſit *Clorre*. Item vbi litera prima mutatur: vt *Gaſter*, *vaſtare*: de quo & paulo antè dictum fuit, quum aliud etiam mutationis literæ *u* in *g* exemplum afferrem. *Enueloper* (quaſi *Enuoluer*) *Inuoluere*: ſic *Deſueloper*, *Euoluere*. Item *Endurer*, abſolutè poſitũ, *Durare*, apud Virgiliũ. Atque vt dictum eſt *Charme* eſſe *Carmen*, ſic *Enchãter* valde propinquum habet verbum ſibi reſpondens *Incantare*. Quibuſdam verò reſpondentia Latina etiamſi non inuenirentur apud eos qui extant ſcriptores, fuiſſe tamen in vſu credibile eſt, & noſtra ex his eſſe facta: vt *Engloutir* ex *Inglutire*: & *Engouler* pro *Engueuler*, ex *Ingulare*: ſicut *Deglutire* & *Degulare* inueniuntur. Verùm quædã ſunt cõpoſita noſtratia quib9 Latinè exprimẽdis non ſolùm vocem ex qua ſunt orta, aut illi ſimilem adhibere oportet, ſed verbum etiam aliquod ei adiungere. Tale eſt *Eſtonner*: quod prima fronte à Latinitate procul abeſſe videri poſsit, quum alioqui ei valde ſit vicinum, quum nihil aliud ſonet propriè *Eſtonner*, quàm *Attonitum reddere* (quaſi quis vno verbo dicat Intonare) vt nomen *Eſtonné*, quod verbum illud præceſsit, eſt *Attonitus*. Sunt denique nonnulla verba quæ propè abſunt à Latinis ex

quibus facta ſunt, quod ad vocem attinet: ſignificationem autem ſi nõ eãdẽ omnino, at certè eodem pertinentem habent. Atque ex hoc numero eſt *Contreindre*, vtpote ex *Conſtringere* factum. Quam deductionem comprobat ea etiam pronuntiatio quæ in quibuſdam locis auditur, *Conſtreindre*. Adeo certè ſignificatio quoque huius vocis vicina eſt Latinæ, vt quorundam loquendi generum interpretationi adhiberi illa Gallica poſsit. veluti ſiquis apud Ciceronem *Neceſſitate conſtrictus* vertat *Contreinct par neceſſité*.

Mirabitur autẽ aliquis quid in iſta huius capitis parte mihi velim, & cur quædã noſtratia proferam in quibus multo quàm putemus viciniores Latinitati ſumus, quũ perpetua propemodum eſſe videatur in hoc opuſculo iſtius argumenti tractatio. Verùm illè ſic habeat, mihi in iſto libro propoſitum præcipuè eſſe de Latinitate falsò ſuſpecta agere: hîc autem exempla quorundam Latinorũ Gallicis reſpondẽtium attuliſſe, quæ tantum abeſt vt ſuſpecta illis eſſe potuerint, quibus cætera quorum mentionem feci; vt ne in mentẽ quidem venerint. Si tamen hîc quoque aliqua falsò ſuſpectorum exempla admiſcuerim, dummodò à præcedentibus diuerſa, erit,

vt opinor, cur meæ hac etiam in parte ſedulitati faueatur.

CAPITIS OCTAVI PARS TERTIA.

VENIENDVM & ad illa vocabula tandem, quæ Latini olim ex priſco ſermone Gallico acceperunt: ne qui ab illis tam multa eſt mutuatus, nihil vnquam illi viciſsim commodaſſe exiſtimetur. Quãuis enim in paucis id perſpicere poſsimus, (quòd multa priſci temporis Latina, multa quoque Gallica à nobis ignorentur, ideòque inter ſe conferri nequeant) iuuabit tamen ſua quantumuis pauca, tanquam agellulum quępiam, poſtliminio recipere. Quidni enim ita loquar de illis quibꝰ iam non vt Latinis, ſed vt noſtris, quæ terminationem Latinam induerant, vti nobis licebit? Incipiam autẽ à nomine *Bulga*, quòd quum Lucilii verſibus nobilitatum fuerit, eos afferam,

Cui neq; iumentum eſt, nec ſeruus, nec comes ullus,
Bulgam & quicquid habet nummorum ſecũ habet ipſe:
Cũ bulga cœnat, dormit, lauit: omnis in una
Spes hominis bulga, hac deuincta eſt cætera uita.

Nunc autem Feſtum, teſtantem eſſe vocẽ Gallicam, audiamus. *Bulgas* (inquit) *Galli ſaculos ſcorteos appellant*. Meminit verò & Nonius huius nominis, ſcribens, *Bulga eſt folliculus omnis, quem & crumenam ueteres appellarunt: & eſt ſaculus ad brachiũ pendens*. Atq; his verbis illos quatuor Lucilii ſubiungit verſus. Quod verò dicit eſſe ſacculum qui ad brachium pendeat, cum eo cõuenit quod ab Horatio ſcribitur,

Læuo ſuſpenſi loculos tabulámque lacerto.

Niſi autem Feſtus & quidam alius vocabulum iſtud nobis adſcriberẽt, periculum magnum eſſet ne Germani vindicare ſibi vellent, quòd in eorum quoque lingua reperiatur. Ac certè quoniam ſcripturã magis Latinæ ſimilem retinent, vtpote literã etiam *l* eodem modo inſerentes (dicunt enim *Bulgen*) hac etiam re, tanquam manifeſto argumento, niti potuiſſent. Noſtros certè maiores pronuntiaſſe itidem *Boulge*, cum litera *l*, mihi ſit veriſimile, potius quàm *Bulgam* vocaſſe Latinos, adiecta hac litera, quam nominare *Bugam* debuerant. Neque tamen id ex illa ſcriptura Germania euincitur: quum fieri potuerit vt Germani errorem Latinorum (ſiquid in pronuntiando noſtro vocabulo errauerint) ſint ſequuti. Quanuis porro maiori ſit in

vſu diminutiuum *Bougette* quàm ipſum primitiuum *Bouge*: non tamen hoc ita in deſuetudinem abiit; quin certis quibuſdam loquendi generibus potius adhibeatur, quàm aliud quod eandem vel ſimilem ſignificationem habeat: veluti quum dicimus, *Il a bien rempli ſes bouges*, de eo qui magnum alicunde lucrum reportarit.

Rheno quoque ex Gallicis eſt, teſte Varrone: quum tamen Cæſar non de Gallis ſed de Germanis ſcribat, eos vti paruis rhenonum tegumentis, lib. 6, De bello Gallico. Quũ autem veſtis è pellibus hoc nomine declaretur (vt Salluſtius apud Seruium, in librum Georg. 3, veſtes de pellibus rhenones vocari ſcribit) rectè à nomine ῥῆνες, quo ſignificabãtur à Græcis oues, deducetur. Nam à vocabulo ῥινὸς minus commodè deriuabitur propter diuerſam ſcripturam: quum alioqui ſignificatio quadret. nam pellis ita vocatur. At verò ex iis qui hæc ignorãt alii *rhenones* inde vocari dixerunt quòd Rhenani populi illis vterentur, alii (quod ſine riſu referre nequeo) quoniam renes tenebant calidos.

Quanuis autem habeamus in ſermone noſtro & hanc appellationem *Sayon*, quæ velut diminutionem oſtẽdit ſignificationis vocis *Saye*, & Varro (ſiqua fides exem-

plaribus) ita ſcribat, *In his multa peregrina, ut Sagum, Rheno, Galli*: nõ auſim nobis hãc quoque vocem aſſerere: quòd Varro pro Græca eã habere videatur, & apud quoſdã ex ſcriptoribus Græcis modò allatis reperiatur. Sed quum valde deprauata ſint illa Varronis verba quæ ſunt proxima, ita vt de iis aliis aliter ſentire liceat, non immeritò fortaſſe ſub his quoq; ſyllabis *Gaunacumma* latere vocem quampiam Gallicã ſuſpicabimur: præſertim quum Galli Narbonenſes quoddam veſtimentum muliebre *Gannacam* appellare dicantur. Niſi potius ibi quoque vocabulũ aliquod fuiſſe dicamus quod inter Græca numeraretur: ac reponamus *Caunaca*. Nec verò deeſſe videtur quod meam coniecturam probabilem reddat, quum *καυνάκη*, ex quo eſſet illud *Caunaca*, legatur apud Ariſtophanem. Itaque ſi certò nobis perſuadeamus Græcam eſſe vocem *Sagum*, dicendum fortaſſe fuerit priore loco aliquid pro illa reponi debere: vt totus locus ita legatur, *In his multa peregrina: ut S * Rheno, Gallica: Caunaca, & Sagum, & Amphimallon, Græca.* Sed in cæteris tamen emendandis, non itidem vt in reponenda voce *Caunaca* pro *Gaunacumma*, mihi ſatisfacio. Ac profectò ſi mihi audaciori eſſe liceret, dicerem *Sagum*

priori loco poſſe retineri, ſed in poſteriori has voces *eius ſagum*, eſſe mutandas, & quidem in aliquam fortaſſe quæ cum *amphimallon* iũgeretur: quum alioqui hoc, adiectiuum potius nomen quàm ſubſtantiuũ ſit, ſicut & *heteromallon* ei oppoſitum. vt καυνάκαι Heſychio στρώματα vel ἐπιβόλαια ſunt ἑτερομαλλῆ. Latini autem *amphimalla*, dixerũt etiam *amphitapa*, ex Græco & hoc ſermone ſumẽtes: vbi ἀμφίταπος fit ex ἀμφιτάπης: at hoc dici exiſtimo quaſi ἀμφίμαλλος τάπης. Verùm ad illud vocabulum *Sagum* vt reuertar, niſi ἀπὸ τοῦ σάξαι fiat, vnde etiã Σάγμα & Σάγη (ex quo eſt πανσαγία) pro peregrino apud Græcos quoq; habendũ erit: ſicut ἀναξυρίδες (quod Polybius cum σάγοι alicubi iungit) quidã peregrinũ eſſe volũt.

Reda quoque & *Petoritum* vocabúla ſunt (Fabio teſte) quæ Latini à Gallis ſunt mutuati. Scribit enim lib. 1, cap. 5, *Plurima Gallica ualuerunt, ut Reda & Petoritum quoque: quorum altero Cicero tamen, altero Horatius utitur.* At Feſtus Gallicum quidem & ipſe vehiculum eſſe tradit *Petoritum*: ſed an vox etiam ipſa ſit Gallica, non addit. Ita enim ſcribit, *Petoritum, & Gallicum uehiculum eſſe, & nomen eius dictum exiſtimant à numero rotarum. Alij Oſcè, quòd ij quoque Petora quatuor uocent: alij Græcè, ſed* Αἰολικῶς, *dictum.* Ideo

quidam ex πέτπρες factum tradiderunt hoc nomen: ſed πίσυρες quidem & τέτορες pro *Quatuor*, memini me legere, at πέτπρες, non item.

Eſſedum, vehiculi itidem genus, adiiciēdum eſt ſuperioribus: licet *Belgica eſſeda*, (non Gallica) dixerit Maro, Propertius autē *Britanna*. Quid ſi verò & *Carrus* ex Gallico *Car* (Picardicè pronuntiādo pro *Char*) fuiſſe ſumptum dicamus? tum temporis enim Galli noſtri monoſyllabis mirum in modum delectabātur: & iam tum *Bec* pro roſtro dicebant, vt ex Suetonio diſcimus. Sed vndecunque fuerit illud vocabulum *Carrus*, equidem peregrinum fuiſſe arbitror.

Benna etiam vnum eſt ex illis vocabulis quæ à Latinis repetere, aut ſaltem quibus vti, tanquam noſtris, poſſumus. *Benna* (inquit Feſtus) *lingua Gallica genus uehiculi appellatur: unde uocātur Combennones, In eadem benna ſedentes*. Vſus autem eſt hoc vocabulo Varro cap. 23, cuius initium eſt, *Fac, ad uindemiam quæ opus ſunt, uti parentur*. aliquanto pòſt, *Bennæ emantur, oleæ caducæ ſaliantur*. Sed ad Picardicā dialectū veniendū nobis eſt vt illam vocem Gallicam ex qua ſumpta hæc à Latinis fuit, inueniamus. Vocatur enim hodiéque *Beneau*, cùm

apud alios tum verò Doacos, ſiue Catuacos. Sed voce *Benne* (vnde diminutionis forma factum eſt *Beneau*) aut alia proximè ad hanc accedente vſos tum fuiſſe Gallos exiſtimo.

Nonnullæ autẽ ſunt voces quas itidem Gallicas eſſe ex Latinis ſcriptoribus diſcimus: an verò & illis vſi fuerint, haud itidẽ compertum nobis eſt. Ex iis eſt *Arepennis*. legimus enim apud Columellam, lib. 5, cap. 1, *At Galli Caudetum appellant in areis urbanis ſpatium* C. *pedum: in agreſtibus autem, pedum* C L. *quod aratores Cadetum nominant. ſemiiugerum quoque Arepennem uocant.* Quid ſi verò *Arpennem* ſcripſerat Columella, quod propius ad vocem noſtram *Arpent* accedit? niſi fortè eo tempore aliter pronuntiabatur. In eo tamen qui editus eſt de agrorum conditionibus & limitum conſtitutionibus libro neutrum illorum, ſed *arapennem* legimus. His enim verbis, *Actus quadratus undique finitur pedibus* C X X, ſubiungitur, *Hunc Bætici Arapennem dicunt, ab arando ſcilicet.* Ibidem, aliquanto pòſt, *Galli Caudetum appellant in areis urbanis ſpatium centum pedum, quaſi centeatum: in agreſtibus autem, pedum centum quinquaginta quadratorum, iuſtum Caudetũ uocant.* At verò apud Columellam vno in loco *Caudetum*, in altero

Cadetum legitur, vbi videlicet aratorum appellationem refert. Sciendum eſt autem in vno ex Gloſſariis veteribus à me excuſis *Aruipendium* legi, quod exponitur Σχοῖνος γεωμετρικός. Nec verò minus vox noſtra *Arpent* repræſentari hac videtur quàm illa *Arepennis*.

At verò *Braccæ* quum omnium conſenſu à Gallis profectæ fuerint, nónne & appellationem ipſam vindicare ſibi poterũt? Vetuſtiſsimum ſanè eſt apud Gallos vocabulum *Brayes*: & quum à *bracis* fuerit etiã dicta vna Galliæ pars *Braccata*, veriſimile eſt braccarum vt vſum, ita etiam appellationem, illorum fuiſſe. Sed quid his aliíſq; coniecturis quæ afferri poſſent, niti opus eſt, quum Diodori Siculi autoritate in adſcribendo Gallis illo vocabulo niti poſsimus? Credibile eſt autem non fuiſſe tum temporis pronuntiatum *Brayes* à Gallis, (quorum aſperior quàm nunc, id eſt minus lenis, ſermo erat) ſed quendam ſonum fuiſſe quem peregrini melius quàm voce *Braccæ* repræſentare non potuerint.

Caſnar autem illis quæ Gallica eſſe teſtatur quiſpiã ex fide dignis ſcriptoribus, adiici poteſt. Scribit enim eodem eiuſdem libri capite Fabius, *Et in oratione Labieni, ſiue illa Cornelij Galli eſt, in Pollionem, Caſnar aſſectator, è Gallia ductum eſt.* Sed Feſtus lon

gè aliter de hac voce ſcribit, nimirum eſſe, Oſcorum,& ſignificare ſenem. Verbum autem *aſſectator* quo Fabius vtitur, ambiguũ eſt, nec ſtatui poteſt ex iocoſo vſu vocũ Gallicarũ quæ huic vicinæ ſunt, an ad illã aſſectationẽ cuius meminerũt Feſtus & Vlpianus, an ad aliã referendũ ſit. Quemadmodũ autẽ *Carrus* peregrinitatis mihi ſuſpectũ eſſe, & ex noſtro *Car*, pro *Char*, originem fortaſſe habuiſſe dixi: ita & *Catus* pro fele (nam & hunc illius vocabuli vſum inueniri docui) ex noſtro *Cat*, pro *Chat*, factũ eſſe, aliquando ſuſpicatus ſum. Eſt profectò mihi peregrinitatis ſuſpectũ & nomen *Sapinus*, & ex noſtro *Sapin* deductũ fuiſſe, mihi nõ abſimile vero videri fateor. Interim tamen, fieri poſſe vt non ſolùm in hoc ſed in illis etiam duobus fallar, minimè negauerim.

At vocis *Soldurij*, quànuis eam Gallicam eſſe Cæſar quoque teſtetur, mentionem ideo non feci, quòd Romanis vſitatam nõ fuiſſe conſtet. ſcribit enim, *Cum ſexcentis deuotis, quos illi ſoldurios appellant*. Gallicis certè ſcriptorib⁹, qui à nobis *Romans* dicũtur, videntur eſſe *Souldoyers* qui nobis *Soldats*. Quidam tamẽ *ſolidatus* ex Vegetio & aliunde afferunt, vnde ſit *ſoldatus*.

Vt autem ex Gallis ſic etiã ex aliis quibuſdã gẽtibus vocabula nõnulla mutuati

erant Romani, & nominatim ex Hiſpanis. Sic vocem *Canthus* Fabius pro Hiſpanica videtur habere, lib. 1, cap. 5, quum ſcribit, *Barbariſmum pluribus modis accipimus. Vnum in gente: quale ſit ſiquis Afrum uel Hiſpanum Latinæ orationi nomen inſerat: ut ferrum quo rotæ uinciuntur, dici ſolet Canthus: quanquam eo tanquam recepto utitur Perſius.* In eodem capite, *Et Mappā quoque uſitatum circo nomē Pœni ſibi uēdicant, & Gurdos quos pro ſtolidis accipit uulgus, ex Hiſpania duxiſſe originē audiui.* Vbi obſerua vocē *Gurdos*, cuius aut nulla alibi aut certè rara eſt mētio. Nos *mains gourdes* dicimus quæ frigore ſunt velut ſtupidæ redditæ. Quis verò *Lanceā* alibi quàm in ipſo Latio ortum eſſe putaſſet? at ex Hiſpania tamen profectū eſt, ſi Varroni apud Gelliū credimus. *Quo in loco Varro* (inquit) *quum de Petorito dixiſſet, eſſe id uerbum Gallicum, Lanceam quoque dicit nō Latinum ſed Hiſpanicum uerbum eſſe.* Hoc certè ſi ita eſt, Græci vocem ſuam λόγχην, pro λάγχην, non Romanis ſed Hiſpanis debent.

DE PLAVTI LAtinitate Diſſertatio, & ad lectionem eius Progymnaſma.

Autore Henrico Stephano.

SI SVPERIORA tempora nos ita infelicitaſſent (hîc enim mihi quoque eſſe antiquario, & loquẽti de Plauto, verbo Plautino vti liceat) vt omnibus Plauti comœdiis, ſicut aliis quãplurimis libris, carendum eſſet, multi profectò illarum deſiderium ferre ſe vix poſſe conquererentur: at ecce, non pauci, & ex his ipſis fortaſſe nonnulli, eam illarũ partẽ quæ, tanquam paucæ ex naufragio tabulæ, ſeruata eſt, pro derelicta habent. Alii enim propter antiqui ſermonis cõſuetudinẽ, cui aſſueti non ſint, ab eius lectione abhorrẽt, perinde ac ſi omnia illic quodã vetuſtatis obducta ſitu forent, & loquentẽ Euandri matrẽ audituri eſſent: alii mendis omnia ſcatere cauſantur: nec deſunt quos Horatii de Plauti numeris & ſalibus ſententia

alieniores ab eius lectione reddat : & ita quidē vt nullum ipſorū iudicio locū relinquat,ſed potius tantū ſcriptorē, tanquam præiudicio quodā indicta cauſa,damnare cogat. His omnibus vt pro tēpore breuiter reſpondeā (alius enim latius de his diſſerendi erit locus) & ad primos primùm veniā, equidē ſi nouitatis amatores ſunt, (vt certè ſunt) antiquū illū ſermonē,vel eo nomine quòd ſuis auribus planè nouus ſit, amare ipſos rationi conſentaneum fuerit. Iidē quū illā ſermonis antiquitatē,cui minimè aſſuefactas aures habent,& quæ à ſermone poſteris Plauti familiari diſcrepat, perpetuam eſſe dicunt,ſe ne vnā quidē huius comici paginā vnquā perlegiſſe oſtendunt. Ad ſecundos quod attinet(id eſt, eos quorū ſecundo loco mentionē feci) vt minus iam de mendis quæ in Plauto ſunt, queri poſsint,faciūt exēplaria vetera,quorū fidē recētiores typographorū editiones ſunt ſequutæ:atque vt minus in dies minúſque huius querelæ occaſio illis relinquatur,aliorū fortaſsis exēplariū ſimúlq; doctorū virorū ope efficietur. Quāquā ſi nullæ ſcriptoris huius editiones priorib' emēdatiores extarēt,atq; ideo lectionē eius refugerēt,id ſanè in Plauto facerent quod in quibuſdā aliis ſcriptoribus minimè fieri ab

illis videmus. Tertiis illis qui Horatianos verſus, quibus huius comici laudibus obtrectat, ſemper in ore habēt, nec aliā canere cantilenā norunt, Varronis, Ciceronis, & quorundā aliorū verbis reſpondere poſſem, vel potius horū teſtimonia illi cui aurē præbēt obtrectationi opponere: ac veterū ſcriptorū de aliis itidē ſcriptoribus diuerſa & modonō repugnātia iudicia proferre: ac variis fortaſſe rationibus illos nō ſolùm μεταπείθειν, ſed tandem etiam πείθειν, verè dictū illud fuiſſe, Muſas Plautino ſermone loquuturas fuiſſe ſi Latinè loqui vellēt. Hoc quidē certè poſſem oſtendere, Ciceronē quædam Plautina velut in deliciis habuiſſe, atque adeò docere, illum ipſum poetā qui ita comico iſti detrahit, lubēter eius Latinitatē, aut certè eandem qua vſus ille eſt, vſurpare: ſed talia vel in id tēpus quo hic comicus à me edetur, vel in aliud reſeruans, pauca tantùm de eius ſermone, pauca etiā de iocis dicā. Ad Plautinā igitur Latinitatē quod attinet, in illis iudiciū deſidero qui ab hac ſe abhorrere, Terentiana autē ſummopere delectari dicūt. Quū enim pars huius non minima ex illa profluxerit (quod exēplis probare non difficile mihi eſſet) perinde faciunt acſi riuis delectarentur, à fonte autem ex quo pars

illorum manaſſet, abhorrerẽt. At de huius comici iocis quid obiicere poſſunt quod nõ de Ariſtophanicis obiicere liceat? Nec verò apud Ariſtoph. tãtùm ſed in ipſis etiã Socraticorũ philoſophorũ libris, plerique ioci palato illorũ iucũdiſſimè ſapiũt, quos apud Plautum faſtidirent. Quo ex genere eſt quidam in Platone, pag. 287, meæ editionis, ex ambigua aut ſaltem duplici verbi νοεῖν ſignificatione petitus. At neque tam frequentes quàm Plautus, neque tales habet Terentius. Fateor: ſed comicè iocandi normam ex Terentio petendam eſſe nego. Ac de iocis quidem alibi à me dicetur: hoc tantùm addere nunc libet, me, quoties in illos incido quib⁹ Plautus ideo non placet, quòd Terẽtio, propter alia etiã quàm eá quæ ad priſci ſermonis cõſuetudinẽ pertinent, valde ſit diſsimilis, recordari Franciſci Robortelii, qui mihi Patauii tãtam diſsimilitudinẽ inter Pindarũ & meũ Anacreontẽ (ita enim eũ appellabat, quòd eũ ex profundiſsimis tenebris eruiſſem) quũ vterq; eſſet poeta lyricus, mirari ſe, multis audientibus, me certè riſum nõ tenente, dixit.

Verùm vt talia de vetuſtis ſcriptoribus iudicia miſſa faciã, diſsimulare nolo, hæreditariũ mihi eum quo Plautũ proſequor, amorẽ eſſe: quum hic comicus patri meo,

antequam ad ingraueſcẽtem ætatem peruenisſet, omnium Latinorũ ſcriptorũ poſt Ciceronẽ & chariſsimus, & (quãtũ licebat per ea quæ tũ tẽporis ſuppetebant exẽplaria) notiſsimus fuerit.. Gallos certè pr ę quibuslibet aliis populis Latinitatẽ Plauti amare par eſt, quòd in plurimis loquendi generibus maior ſit eius ſermoni cum Gallico quàm cum alio vllo affinitas: & quidẽ ita vt voces etiam pleræque propemodum eædem vtrobique audiantur.

Neq; tamẽ eas quæ mihi ſuperſunt pagellas exemplis illorũ loquendi generum implebo: ſed potius, quoniam illos qui in huius lectione tyrones ſunt & rudes, multa remorari poſſunt, de cautione quæ in eo legẽdo adhibẽda eſſe videtur, ſi nõ cuncta quæ memoria ſuggerit, at certè omnia quæ anguſto hoc ſpatio capi poterũt, afferã: ſed in libro De Latinitate prisca, fuſius eadem (Deo fauente) prolatis etiã variis exemplis tractaturus, & prætermiſſas hîc ὑποθήκας adiecturus.

Quũ autẽ hoc primùm videndum ſit, vt remoræ quas exẽplariũ deprauatio afferre poteſt, tollãtur, quomodo nõnullæ ex poſtremis etiã editionibus tollendæ mihi videantur, oſtendam: ſperans fore vt aliæ ab aliis, poſtquã in huius poetæ lectione fue-

rint exercitati, auferãtur, & quidẽ ita fortaſſe vt hac in re μαθηταὶ quidã κρείττονες διδασκάλου dici poſsint. Incipiam porro ab iis locis in quibus nulla ne vnius quidẽ literæ mutatione opus eſt, ſed tantùm verba quæpiã ſuis perſonis reddẽda ſũt. In hoc igitur loco, qui eſt in Mercatore, Act. 2, ſc. 4,

CH. *Plurimum tu ſcis: ſed quî eſſe amicam illam meam?*
EV. *Tute heri ipſus mihi narraſti.* CH. *ſatin' ut oblitus fui*
Tibi me narrauiſſe?

repono,

EV. *Tute heri ipſus mihi narraſti. ſatin'?*
CH. *Vt oblitus fui*
Tibi me narrauiſſe!

Hîc enim vocabulum *ſatin'* ſi reddatur illi perſonæ cuius eſt, Eutycho nimirum, conuenientiſsimus erit eius vſus: vt ille dicat, Nónne ſatis hoc fuit ad rem iſtam ſciendã, quòd tu ipſe mihi eã narraueris? Alter verò non interrogatus (ideo perperã etiã ponitur interrogationis nota) ſed admirãs, dicat, *Vt oblitus fui me hoc tibi narrauiſſe!* Sic etiam in Bacchidum principio, vbi legitur,

Quid in concilio cõnſuluiſtis? BA. *Bene pol.*
PI. *Haud meretricium eſt.*
BA. *Miſerius nihil eſt quàm mulier.*

repono;

repono, B A. *Bene*. PI. *Pol haud meretricium eſt*. Intelligo autẽ, Pol haud meretricium eſt bene conſulere.

Eodem modo in Milite vocula vna ſi perſonæ ſuæ reddatur, ſua loco pariter ſententia redditur. Nam Act.3, ſc.3, ita legitur,

P E. *Bene opportunéque obuiam is Palæſtrio. hem tibi aſſunt*
Quas me iuſſiſti adducere, & quo ornatu.
A C. *Heus noſter*. P A. *eſto.*
Palæſtrio Acroteleutium ſalutat.

quum ita legendum ſit, AC. *Heus noſter eſto*. P A. *Palæſtrio*. &c. Extat autẽ hoc loquendi genus *Noſter eſto* & in aliis Plauti locis quos mihi nunc memoria non ſuggerit.

Sic etiam alii in quibus itidem obſeruaui verba quædam vni perſonæ adſcribi, quæ ſunt alterius, in mentem non veniunt: ſed vel hi ad reddendum cautos hac in parte lectores ſatis eſſe poſſunt.

Sed caueant ſibi diligenter & ab interpunctionibus ſeu interpunctionis notis, non ſuo loco poſitis, & quidẽ in poſtremis etiã edit. Germ. & Antuerpiana. vt in Mercatore, *Ne plora nimis, ſtultè facis, oculos corrumpis tales*. quum ita interpungendũ ſit, *Ne plora: nimis ſtultè facis*, &c. Atq; vt hic poſt aduerbiũ poſita eſt nota quæ præponi debet, ſic in Aſin. Act. 5, ſc. 1, A R. *Ne dixis*

iſtuc. De.*Ne ſic fueris illico,ego non dixero:* quũ mutata ſtigmes ſede,legendum ſit, *Ne ſic fueris,illico ego non dixero.* Sic Act.4,ſc.3, *vin' dicam cuia eſt illa ædepol.uæ mihi*, *Neſcio quid dicam.* quum ſcribere oporteat, *Vin' dicam cuia eſt illa? AEdepol uæ mihi*, &c. hæc autẽ apud ſe loquitur. Sic verò & alibi iunguntur perperã præcedentibus quæ ad ſequentia pertinent,aut viciſsim. vt in Aſin. Act. 4,ſc.1, (vt quidem vulgò hæ comœdiæ in actus & ſcenas ſunt diſtributæ)

Deam ſibi inuocet quam libebit propitiam,
Deum nullum,ſi magis religioſa fuerit.
Tibi dicat,tu pro illa ores ut ſit propitius.

Quis elici ex hoc loco poteſt ſenſus? quorſum vetatur vllũ deũ inuocare ea quæ magis religioſa fuerit? Imò verò, ſi rectè interpũgatur locus, abſque vlla alioqui vel vnius literæ mutatione, quæſtio hæc minimè mouebitur, quia poetam hoc non dicere manifeſtũ erit. Vera enim (niſi fallor) hęc eſt interpunctio,

Deam ſibi inuocet quam libebit propitiam,
Deum nullum: ſi magis religioſa fuerit,
Tibi dicat, tu pro illa ores ut ſit propitius.

Intelligit enim, Quòd ſi magis religioſa fuerit quàm vt contenta eſſe poſsit deam inuocaſſe, & velit deum quoque inuocare, hoc tibi dicat: tu autẽ pro illa ores, &c.

Nec procul abeundum fuerit vt aliud

deprauati falſa interpunctione loci exemplum inueniamus. Legimus enim in principio ſcenæ quæ proximè ſequitur, [*emori*

Sequere hac. egon' hæc patiar? aut taceam?
Me malim, quàm hæc non eius uxori indicem.
Ain' tu apud amicam? munus adoleſcentuli
Fungare, uxori excuſes te & dicas ſenem.

Quid hoc ſibi vult obſecro, *Ain' tu apud amicam?* quis non fatebitur hanc eſſe mentem eius qui loquitur?

Ain' tu? apud amicam munus adol. &c.
Videtur autẽ natus eſſe error ex eo quòd ignorata fuerit vis huius loquẽdi generis, *Ain' tu?* quod ſonat hoc in loco, ſicut & quibuſdã aliis, *Dites-uous donc? Eſt-ce ainſi que uous en faites?* Q.d. Ain' tu talia tibi debere permitti? vel, talia debere diſsimulari? Sic in Merc. Act.5, ſc.4, *Modò pacem faciatis miſero, ut ne mihi iratus ſiet:* quum ſcribẽdũ ſit, *Modò pacẽ faciatis, miſero ut ne*, &c. Sic initio Bacch. *Hæc ita me orat ſibi, qui caueat*, &c. quum pronomẽ *ſibi* pertineat ad verbum *caueat*.

Quòd ſi & locorum in quibus non prępoſterè poſita ſed omiſſa eſt hæc nota, facienda ſit mentio, multi reperientur. Obſeruaui certè cùm alibi, tum ante aduerbiũ *ecce* cui pronomen adhæret, hanc omiſsionẽ: ita vt ſuperuacaneũ videatur illud ad-

uerbium.Sic in Mil.glor. Act.3,ſc.1, *Habeo eccillam meam clientam.* quum tamen iungẽdo verbũ cum ſequentibus, dicendum fuiſſe videatur non *eccillam*, ſed tantùm *illam.* Sic in Curcul. *Certè eccistam uideo.* quũ diſiungendũ ſit itidẽ verbũ *uideo* ab illa prçcedẽte voce.vt apud Terent.in Heautont. *Sed uideo: eccos quos uolebam.* Alibi autem poſt quædã aduerbia nota illa deeſt: vt in Merc.Act.5,ſcena 4,*Optimè hercle perge: ego aſſiſtam*, &c. quũ poſt *hercle* interpungere oporteat, ſubaudiendo verbũ aliquod vel aliqua verba poſt hoc aduerbiũ,vt ſæpe apud hunc comicũ poſt quædã aduerbia eſt alicuius verbi ellipſis. Atque vt hîc poſt aduerbiũ nota illa eſt omiſſa, ſic alibi poſt verbũ: vt in Bacchid.Act.5,ſc.1, *Perij. pudet hoccine ætatis ludum bis factum eſſe indigné.* quum ſcribendũ ſit (addita etiã nota interrog.) *Perij. pudet: hoccine ætatis ludum bis factum eſſe indigne?* Sic eiuſdẽ com. Act.2, ſc.3, *Populo præſente nullu'ſt Epheſi quin ſciat.* quum ineptè hoc dicatur, niſi poſt *præſente* interpungamus: præſertim quum præcedat, *Sed qui præſente id aurum Theotimo datum eſt?*

Prætcribo alia notæ interpunctionis omiſſæ exempla,& tria itidem afferam locorũ in quibus (quod periculoſius eſt) ad-

iecta ſententiam perturbat. In illis igitur editionibus quas antea nominaui, & quibuſdam aliis quæ hæc ſcribenti in prõptu eſſe potuerunt, legitur, Capt. Act. 5. ſc.4, in principio,

Vidi ego multa ſæpe picta quæ Acherunti fierent
Cruciamenta: uerùm enimuero nulla adæquè eſt Acheruns.
Atque ubi ego fui in lapicidinis, ibi demum eſt locus, &c.

Viden' vt πλεία στιγμὴ poſita ſit poſt *Acheruns*, quũ tamẽ *adæquè* (pro *æquè*) cum ſequente *atque* iungi neceſſe ſit? Malo autẽ & *nullus*, vt in quibuſdam edit. ſcriptũ eſt. Sic in Merc. Act.4, ſc.4, in principio, quũ dicat poeta, *Nam qui amat, quod amat, ſi id habet, id habet pro cibo videre, amplectier*, &c. & intelligat (vt animaduertere facile eſt) hãc videndi & amplectendi quod amat voluptatem loco cibi eſſe, in illis exempl. poſita poſt *cibo* interpunctio tenebras huic loco offundit, atq; adeò infinitiuis illis nihil cũ quo poſsint cohærere, relinquit. In eadẽ com. Act.2, ſc.2, *Quid tibi ego ætatis uideor?* L Y.-- *Acherũticus, Senex, uetus, decrepitus*: vbi interpunctio inter *ſenex* & *uetus* poſita his verbis eum quẽ Plautus dedit vſum nõ relinquit: quippe quæ diſiũgat quæ ille

iunxit. Hoc autem oſtendit Tibulli verſus, *In ueteres eſto dura puella ſenes.*

Verùm vt ab interpũctionis nota ad interrogationis notã veniam, & de huius omiſsione (ſicut paulo antè de illius) verba faciam, nòn dubiũ eſt quin hæc quoq; prętermiſſio lectorem multum remorari poſſit, & contrariũ etiam alicubi ſenſum efficiat. Sic in Merc. Act. 5, ſc. 2, —— *Quin tu ergo itiner exequi meum me ſinis?* EV. *Non ſino.* CH. *Ergo me moror*, &c. hîc enim non negat Eutychus ſe ſinere: ideóque ſcribendum eſt *Non ſino?* pro Nónne ſino? vel, Itáne dicis me nòn ſinere? Sic etiam Act. 4, ſc. 4, *Nòn abis. non ego ſum qui te conduxi.* pro, Nõ *abis?* Potiſsimum autem poſt particulam *Quid* omiſſa eſt hæc nota, & quidem ita vt quum ſeorſum legi debeat, contrà ſequentibus iuncta ſtructurã orationis perturbet. Sic in Aulul. Act. 2, ſc. 1, —— *Quid hic non poterat de ſuo senex obſonari filiæ in nuptiis.* quùm ſcribendum ſit, *Quid? hic non poterat*, &c. poſita etiã interrog. nota in fine ſententiæ. Sic in Mil. glorioſo, *Quid nutrici non miſſurus quicquam, quæ uernas alit.* quùm ſcribendum itidem ſit, *Quid? nutricĩ non miſſ.* &c. Sic certè in Græcis dialogis plerunque poſt particulã τί omiſſa hæc interrogationis nota ipſos etiam interpretes

in errorē impulit, quū illā ſequentibus verbis admiſcerent, quæ ab illis ſeparanda erat. Meam certè Platonis editionem qui cum præcedentibus conferent, pleroſque locos à me ex difficilibus faciles redditos eſſe videbunt, quòd lectorē huius particulæ ἦ vſus illa nota monuerim. Cæterùm vt antea interpunctiones omiſſas & viciſſim malè quibuſdam locis adiectas eſſe docui, ſic etiā iſtā interrogationis notā non ſolùm deeſſe multis ſed in quibuſdā etiam ſupereſſe ſciendū eſt. Cuius rei exemplum aliquanto antè habuiſti.

Venio nunc ad alia mendorum genera: & quorundam primùm mentionem faciam, quæ in poſterioribus quidem editionibus non remanſerunt, ſed fieri poſsit vt ex horum obſeruatione alia eiuſdem generis, quæ fortaſſe in illis quoque remanſerint, emendentur. Dico igitur non animaduerſam terminationem priſcam in *os* pro *us* (quæ tamen haudquaquā cōſtanter in Plauti exēplaribus ſeruatur) quorundā mendorum in ſuperioris temporis editionibus cauſam fuiſſe. Exempli gratia, in Aulularia, *Nam ſi opulento ſit petitum pauperioris gratiam*, pro *Nam ſi opulentos it petitum*. Dico etiam quarūdam antiquarum vocū ignorationem menda in quoſdā locos in-

uexiſſe:vt *diuitiæ* pro *diuidiæ*, in Bacchid. Act.4,ſc. 9, *Caue tibi ducenti nummi diuitiæ fuant*. Quæ tamen voces in quibuſdam locis deprauatæ fuerunt,in aliis intactæ ſeruatæ ſunt.vt hæc ipſa vox legitur in iiſdem exemplaribus, in eadem comœdia,Act.4, ſc.6,in principio, *Nimio illæc res eſt magnæ diuidiæ mihi, Subterfugiſſe ſic mihi hodie Chryſalum*.Sic in Caſina, Act.2, ſc.2 , --*ſed quid eſt Quod tuo nunc animo ægrè eſt? nam quod tibi eſt AEgrè, idẽ mihi eſt diuidiæ*. Quo ex loco patere poteſt quid hoc vocabulo ſignificetur. Nonius quidem certè tædium exponit,at Feſtus diſcordiam. ſed cum his locis conſentit illius,non huius expoſitio. Sciendum verò eſt poſteriores editiones Germanicam & Antuerpianam habere *diuiduæ* in hoc tertio loco,quum præcedentes eandem quam in cæteris locis habeant lectionem,*diuidiæ*. Quinetiam quidã illud *diuiduæ* in aduerbium *diuiduè* mutãtes, annotarunt illo ſignificari Dimidia ex parte. Sic pro aduerbio *numerò* quidam reponendum putarunt *num hero* in Caſina, Act. 3,ſc.5,ignorantes quem apud comicũ iſtũ illa vox,tum ibi,tum aliis in locis vſum haberet. Videat lector quot mutationibus antiquæ illæ & raræ voces ſint obnoxiæ. Verùm à mendis quæ illis ſuperioribus

editionibus peculiaria ſunt, ad illa trāſibo quæ & poſterioribus cum illis ſunt communia:ſed ita vt lectorē prius moneā,ideo ſpernendas ſuperiores non eſſe quòd ad has ab illis interdū recurrere neceſſe ſit,& lectiones quas illæ apertè mendoſas habēt,emendatis quas hæ exhibent, commutare. Exemplo eſſe poterit quidam locus qui eſt in fine Bacchidum. quum enim ita in prioribus editionibus legatur, *Hanc ueniam illus ſine te exorem*,mirabilis eſt recentiorum in deprauando hoc loco conſenſus, mutando videlicet *exorem* in *uxorem*: adeo quidem vt etiam Germanica & Antuerpiana hanc nobis licet apertiſsimè mēdoſam lectionem exhibeant. Recordor autem hîc cuiuſdam loci(quum enim fideliter conſilium lectori dare ſtatuerim, nihil illum celare volo) qui inter alios apertiſsimè teſtatur eos qui editionibus illis in typographia præfuerunt, parum iudicio (nequid grauius dicam) valuiſſe. Is eſt in Truculento,Act.2,ſc.5,in fine.quum enim ſuperioris temporis editiones ibi habeāt, — *ut uenerer Lucinam meam*, & pro *uenerer*, repoſitum ab aliquo ex vet.cod. fuerit *uenerem*, actiua voce, ἀρχαϊκῶς,illi *Venerē* ſcripſerunt,maiuſculam literam in principio ponentes, perinde acſi non verbum, ſed

nomen deæ eſſet. Monitum præterea volo eum qui illis editionibus vtetur, vt illi qui habitus eſt diuerſarum lectionum delectui minimè fidem habeat: præſertímq; ad Antuerpianam quod attinet: quum pleriſque locis bona in calce libri aut ad marginem, mala autem in ipſo (vt vocamus) textu poſita ſit. Exempli gratia in hoc Aululariæ loco, Act.4, ſc.8,

Multóque prius me collocaui in arborem,
Inde expectabam ubi aurum abſtrudebat ſenex.

quum germana lectio ad calcem libri reiecta ſit, *aſpectabã*. Sic in Bacchid. Act.4, ſc.9, (vbi quidam feſtiuiſsimè fortitudinẽ ſuam ac prudentiam, qua expugnauit amãti herili filio aurum ab ſuo patre, cum expugnatione Troiæ confert) textus habet, *Sciui ego iamdudum fore me exitiũ Pergamum,* quum manifeſtum ſit lectionem hanc locum nullum habere, ſed cum ea quæ margini appoſita eſt, *Pergamo* videlicet, commutandam eſſe.

Quidam verò ſunt loci vbi nec quod legebatur in ſuperioribus editionibus, nec quod habent iſtæ, ferri poſſe videtur. Ex illis eſt quidam in Menæchmis, Actus 1, ſc. 3. Quum enim antea ſcriptum eſſet,

Iube nobis trib⁹ apud te prãdiũ accurarier,

Atq; aliquid ſit omentorũ de foro obſonarier,
Glandulam ſuillam, laridum, pernam itidem,
aut ſinciput.

repoſitum fuit in ſecundo verſu, *Atque aliquid ſit amentorum*, nota etiam interpunctionis quæ erat poſt *obſonarier*, poſt hũc genitiuum poſita. Exponitur autem *amentorum* eo in loco, Illecebrarũ quibus attrahatur cibus. Sed quis hanc metaphoram, planè duram ac violentam, & minimè comicam ſed plus quàm dithyrambicam eſſe non videt? Equidem *omentorum* potius relinquendũ (meo iudicio) fuiſſet quàm in talẽ vocem mutandum. Quid enim aliud hoc eſt quàm rem incertam magis incerta commutare? Neque tamen illam quoque priorẽ lectionẽ mendoſam eſſe nego (quũ vocula *ſit* in ea quoq; abundet) & omnino *ſcitamentorum* ſcripſiſſe Plautum, ac Gelliũ vocem hanc ex illo, ſicut alias quaſdã ſumpſiſſe, credibile eſſe dico. Eſt profectò *ſcitamentũ* quod diceremus *Ioliueté*, vel *Gentilleſſe*. Sed addam & verſum qui hunc ſequitur, vt quidem ibi ſcriptus eſt,

Glandionicam ſuillam, laridum, peronidem,
aut Sinciput

Ego certè ne hæc quidẽ verba facilè illis antepoſuiſſem. Eas tamen potiſsimum lectiones non libenter mutatas video quę

alicuius veteris grammatici autoritate cõfirmabantur: quod cùm in aliis factum locis fuit, tum in hoc Epidici, Act.1, ſc.1, *Detegetur corium de tergo meo*. Quum enim Nonius, poſtquam dixit *Degere* eſſe detrahere, hunc ipſum locum in illius ſignificationis exemplum afferat, quorſum, obſecro, vlli exemplari plus quàm Nonio credemus? præſertim quum præcedẽtes editiones illi ſubſcribant? Idem omnino dicam & de ſuperlatiuo *oculiſſimum* ſiue *oculiſſumum*, initio Curculionis,

Huic proximum illud oſtium oculiſſimum.
Salue, ualuiſtin' oſtium oculiſſimum?

Quum enim Feſtus, poſtquam *oculiſſimum* expoſuit chariſsimum, hunc ipſum Plauti locum afferat, & priores editiones illi aſſentiantur, cur tanti vllius exemplaris nobis erit autoritas vt *oculiſſimum* mutare in *occluſiſſimũ* audeamus? Præſertim verò quũ alibi quoque hoc ſuperlatiuo in eadem ſignificatione vtatur, & quidem hanc lectionem ibi approbãtibus illis etiam ipſis quæ hîc reiiciunt, non video quomodo id facere licuerit. Addam his duobus locis & tertium, in quo, ſi ſequamur Nonium, verbum habebimus perantiquum & valde rarum, ſed quod nihilo magis in poſterioribus editionibus inueniatur quàm in prio

ribus. *Diſpennere* (inquit ille) *eſt expandere: tractum à pennis & uolatu auium.* & ſubiungit Plauti locum in exemplum, ex Milite glorioſo, *Vbi lubet diſpennite hominem diuorſum & diſtendite.* Atqui vetuſtiores editiones habent, -- *diſpendite hominem diuorſum & diſtendite:* recentiores autem, mutata horum verborum ſede, -- *diſtendite hominem diuorſum & diſpendite.* Fortaſsis autem legendum eſt apud Nonium in expoſitione huius verbi, *Tractum à pennis in uolatu auium:* quia videlicet in volatu pēnæ diducuntur, & vult hunc manibus eum in modum diductis in crucem agi.

Ac ne hîc quidem finem imponam iſti de priſcis vocibus ſermoni quæ in his Plauti comœdiis deſiderantur: ſed duo addam: vnum, quaſdam pro aliis quæ apud eum legantur, ex veterum codicum autoritate reponi: nonnullas etiam ex iiſdem afferri, non quæ in aliarum locum ſubſtituantur, ſed potius locum alioqui vacuū impleant. Illius quod priore loco dixi, exemplum habemus in iſto Pſeudoli verſu; Act. 2, ſc. 4, *Euge pellepide Charine, me meo ludo iam beas.* Hîc enim pro *iam beas* ex vet. cod. reponitur *lamberas*, à viro vndequaque doctiſsimo Adriano Turnebo: qui addit, Lambérare, autore Feſto, eſſe ſcindere atque la-

niare: vt ſeruus ſe ſuo ludo verberari dicat, quòd eiſdem appetatur iocis quibus laceſsiuerat. Eius autem quod poſteriore loco propoſitum à me fuit, exemplum ſuppeditat hic Moſtellariæ locus, Act.1,ſc.2,

Auſcultate, argumenta dum dico ad hanc rem.
Simul uolo eſſe hanc rem mecum.

Ita enim in poſterioribus editionibus lacunula (vt vocamus) relicta eſt: quòd Ioachimus Camerarius, maximum, doctrinæ ergò, Germaniæ ornamentum, ſpatiolum illud vacuum relinquendũ putauerit: quũ (vt ipſe teſtatur) quid de veterum librorũ literis fieri poſſet non reperiret, his videlicet *gnaruriſuo*. ſed poſtea alter ille cuius modò mentionẽ feci, autoritate Gloſſarii adiutus, magna & rara vocũ priſcarũ ſupellectile inſtructi (quod à me poſtea excuſum fuit) ſub literis illis latere nomen plur. numeri, accuſatiui caſus, animaduertit, ſignificans gnaros. quòd in illo ipſo ſcriptũ ſit *Gnarurem*, γνώεμον: & *Gnarurat*, γνωρίζει. item quòd in alio eiuſdem comici legamus loco, nimirum in Pœnuli prologo,

Ad argumentum nunc uiciſſatim uolo
Remigrare, æquè ut mecum ſitis gnarures.

Sed hîc quoque mutata fuit vox iſta in illis quas conſulere nunc licuit editionibus: quũ in quibuſdam legatur, —*æquè ut mecũ*

ſitis huius gnari rei:in aliis quæ priores ſunt,
-- *ut æquum eſt: uos ſignatores eritis*. Inuenitur tamen priſcum illud nomen apud Auſonium quoque (quod mirum videri poſſit) ſequendo vetera quædam exemplaria. Nam in quadam ad Paulinum epiſtola ita legitur in illis,

Non cultor inſtans, non arator gnaruris
Promuſque quàm condus magis, &c.

quum alioqui in omnibus quæ quidem in manus meas venerunt editionibus (præterquam in ea quæ Lugduno prodiit, anno 1575) legatur, *non arator gnarus eſt*. Verùm vt ad meum comicum reuertar, ſunt alia etiam eodem modo ex eo ſublata priſca vocabula:ſed poterit ipſe lector, his à me exemplis admonitus, alios itidem locos qui à grammaticis vel ab aliis ex vet. libris afferuntur, cum iis quæ in vulgatis editionibus leguntur, conferre. Cuiuſdam certè loci qui in Rudente eſt, emendationem Cicero ipſe nobis ſuppeditat. quum enim Act.5, ſc.1, legatur,

Iterum mihi iſtæc omnia, itera mi anime, mi
Trachalio,

ex Cicerone locum hunc vſurpante diſcimus ſcribendũ eſſe *Iteradum*. Vnam enim ex epiſtolis ad Atticũ quæ eſt libro 14, ab his verbis inchoat, *Iteradum eadem iſta mihi*,

Obſerua autem quantum Plauti verba amauerit,& quanti fecerit hic ſcriptor.

Sed multi ſunt loci in quibus nihil ex vetuſtis codicibus fuit immutatum, vbi tamen nullo modo lectio recepta ſeruari poſſe videtur. Cuius rei inſigne eſt in Aſinariæ prologo exemplum,

Nunc quod me dixi uelle uobis dicere,

Dicam. huic nomen Græcè eſt onagros fabulæ.

Quid enim hîc *onagros* ſibi vult? quomodo ex nomine *onagros* factum fuerit *aſinaria?* Mirum tamen non eſt, noſtrorum auorum tempore,quo Græcæ literæ propemodum ſepultæ erant,*onagros* pro *onagos* poſitum fuiſſe:at in illis etiam editionibus hodiéque ſeruari,& quidem ſine vlla admonitione,omnino admiratione dignum videtur.Poteſt verò non ſolùm *onagos*, ſed etiam *onagoſt* legi,pro *onago eſt* (ſicut dicitur Eſt mihi nomen Tullio)delendo *eſt* quod præcedit.Sed quum ὀναγὸς , vel ὀνηγὸς (pro quibus frequẽtius ὀνηλάτης) ſonet *aſinarius*, cur *aſinaria* fœminino genere vocetur hęc fabula,roget quiſpiam fortaſſe. Ego certè exiſtimo,ſi *aſinaria* verus ſit titulus,ſubaudiri ſubſtantiuum *fabula*:vt perinde ſit acſi diceretur, Fabula de aſinario mercatore, qui videlicet argento emunctus ab aſtuto ſeruo fuit.

Vt

Vt autem nunc de aliis locis quorum plerique emendatione non in prioribus ſolùm ſed in poſterioribus etiam editionibus opus habent, diſſeram: ex ignoratione priſci ſermonis pleraque prouenìſſe dico: interdum quidem quòd vocabula ipſa planè incognita eſſent, ideóque ſuſpecta (vt exemplis paulo antè oſtẽdi) interdum verò quòd declinatio ſeu coniugatio, aut conſtructio, inſolens eſſet. Exempli gratia, qui veteres verbum *decet* iunxiſſe datiuo ignorabant, in Amphitr. Act. 3, ſc. 4, in fine,

Ibo intro, ornatum capiam qui potius decet,

ſcripſerunt, quum ſcribendum ſit *qui potis decet*, id eſt, eos qui ſunt poti. Eadem tamen conſtructio calamũ correctorũ apud eundem comicum effugit, (quòd nõ adeo facilis mutatio eſſet) cùm alibi, tum in hoc eiuſdem comœdiæ loco,

Iſtuc facinus quod tu inſimulas, noſtro generi non decet.

Sic fuerunt quos in huius comici Amphitruone offenderet, *In mentem fuit*, & qui accuſatiuum in ablatiuum mutarent: quũ tamen Gellii quoque autoritate lectio illa confirmetur, legentis itidem in quodã Ciceronis loco, *in prædonum fuiſſe poteſtatem.* quod alioqui multo magis videri mirum poſsit. Sic qui multa veteres maſcu-

lino genere extuliſſe ignorabant quæ poſtea neutro elata fuerint, vix *cerebrũ omnem* admittere apud hunc poetam potuerunt: & alicubi *tergum* maſculino itidem genere, necnon *æuum*. quum tamen *dorſus* itidem inueniatur in Milite: & *aruus* etiam in Truculento legatur, *Non aruus hîc ſed paſcuus eſt ager*: item alibi *gutturem* apud eum habeamus. Sic quædam loquendi genera priſca & Plauto familiaria quibus nota nõ fuerunt, quoſdam locos in quibus ea reperiebantur, immutarunt. Exemplum eſt initio Moſtellariæ, *Quid tibi, malum, hîc ante ædes clamitas?* ita enim in prioribus editionibus legitur, pro *clamatio eſt*. ſicut in eadem ſcenâ habemus, *Quid tibi, malũ, mea ut quid ego agã curatio eſt?* id eſt, Quid curas? Et in Curculione, Act. 5, ſc. 2, *Quid iſtum tibi tactio eſt?* Quædam etiam voces Græcæ, quòd non ſatis intellectæ fuerint, nequaquam intactæ manſerunt: quædam verò alicubi audaciam correctorum effugerunt, alicubi non item. Atque hîc nominis *thermopoliũ* recordor, ex quo *hermopolium* poſteriores editiones fecerunt, in Pſeud. Act. 2, ſc. 4, *Quum in corde inſtruere quondam cœpit hermopolium*. quum tamen eædẽ alibi *thermopoliũ* habeãt, videlicet in Trinummo, Act. 4, ſc. 3. Aliquæ autem ſunt voces quæ quum magna immutatione opus habere videã-

tur,vt reſtitui poſsint, contrà paruam immutationem (meo quidẽ iudicio) poſcũt. vt alicubi(in Pœnulo,ſi bene memini)pro *Pentethronica* vbi dicitur *pugna Pentethronica* ſcribendum puto *Pelethronica*, aut *Pelethronia*,à Pelethroniis Lapithis.

Sic in Pœnuli prologo pro *inconcubinatam*,quod in illis etiam poſterioribus editionibus legitur, ſiquis *in concubinatum* ſcribat,parua mutatione veram lectionem reponet. Sic pro *Quaſi* dixerim ſcribendũ eſſe *quàm ſi*,in Curculione,Act.1,ſc.1, *Tam à me pudica eſt quaſi ſoror mea ſit*.Itidémq; in Aulularia, Act.1,ſc.4, *Tu me bos magis haud reſpicias natus quaſi nunquam ſiem.* vbi malè etiam *gnatus* pro *natus* in poſterioribus editionibus ſcriptum eſt.item *mordicibus* paulo pòſt pro *mordicitus* aut *mordicus*.

Alii quoque quos ſubiungam loci, ſine magna mutatione emendari poſſe videntur.Ex illis eſt hic in Epid.Act.2,ſc.2.

— occœpere aliæ mulieres [*ſolens,*
Duæ poſt me ſic fabulari inter ſeſe:ego abſceſſi
Paulum ab illis diſſimulabam me harum ſermoni operam dare.

pro *ſolens* reponendum cenſeo *ſilens*: & interpungendũ poſt *illis*,non poſt illud participium. Miror certè & in hoc loco illarum recentiorum editionum conſenſum,

Moſtell. Act.3,ſc.1, *vrbem exul linquat factus hic cauſa tui?* cur enim non potius *factus* hîc legetur? Miror & hîc, Mil. Act.2, ſc. 6, *Dato excruciatũ*. nam *excruciandũ* neceſſe videtur eſſe vt legamus. Magis etiam miror illorũ conſenſum in hoc, Merc. Act.3, ſc.1, *Laborioſe nihil tibi quicquam operis imperabo*. Cur enim nõ potius *laborioſi* ſcribetur? Hac eadem permutanda videtur litera *o* & in iſto Rudẽtis loco, Act.4, ſc.6, in principio, *Aliquando oſculando melius eſt uxor pauſam fieri*. nimirũ reponẽdo *oſculandi*. vt *pauſam fecere fremẽdi*, apud Ennium: itidémq; apud alios alia eiuſmodi. Et in iſto Pſeud. loco, *improbæ uino modò cupidæ eſtis*. nam *uini* ſcribẽdũ eſſe puto: & paulo pòſt, *factu eſt optimum*, pro *factum eſt optumum*. Cæterùm vt vocales alicubi aliæ pro aliis poſitæ ſunt, ſic etiam conſonantes, præſertímque illæ quæ affinitatem habent, vt *n* & *u*. Sic enim in Curcul. Act.2, ſc.2, *nom* pro *uoui* (id eſt promiſi) ſcriptum eſt. Alicubi verò litera aut abũdat, aut deeſt. Abundat, vt in hoc Curcul. loco, Act.4, ſc.2, *Ecquid das quod bene ſit?* legendum enim *quo bene ſit* (vt alibi dicit, Bene eſſe cuipiam aliqua re. quo loquendi genere Horatius quoq; vſus eſt) ſed legitur etiã *qui bene ſit*. Deeſt autem litera, vt in Milite, Act.2, ſc.2, -- *nihil facio quid illis faciat cæteris*. Hîc enim repono *nihili*, alios

etiam locos ſequẽs. Expedit autem, lectorem qui in Plauti lectione tyro eſt atque rudis, de talibus etiam emendationibus eſſe præmonitum, ne ſtulta quadam credulitate illa etiam quæ Latinitas ferre nullo modo poteſt, priſci ſermonis conſuetudini adſcribat. Sunt certè loci nonnulli vbi pro vocibus non ſuſpectis poſitæ in recentioribus editionibus fuerunt quæ ſuſpectæ cuipiam eſſe queant. vt *obnoxioſi* in Trinummo, *Magis queis ſunt obnoxioſi quàm parentes liberis.* Quanuis enim in multis vocabulis hanc terminationem priſca Latinitas amauerit (adeo vt etiam *inopioſæ* pro *inopes* in Pœnulo legamus) in hoc tamen magis mira & inſolens videri queat: præſertim quum priores editiones habeãt *obnoxij.* Quædam etiam loquendi genera ſuſpecta eſſe poſſunt, & aliorum locorum collatio ſuſpicionem auget. vt in Moſtellaria, Act.4, ſc.1, *Ferocem facis: quia te herus tam amat.* Videri enim poteſt addendum pronomen *te* ante verbum *facis*: quum ita loquutus ſit in Curculione, *Ne te mihi facias ferocem*, Act.4, ſc.3. Eodémque modo pronomen *te* deeſſe credibile eſt in hoc Perſæ loco, Act.2, ſc.2, *Quò agis?* Certè *Quò te agis* ſi legatur, multis exemplis hæc lectio confirmari poterit: at illa vix vllo (vt opi-

nor) quod quidem veterum̃ etiam exemplarium autoritatem ſibi aſſentientem habeat. Ac ne illud quidem malum effugit hic ſcriptor quod aliis pleriſque contigit, vt nimirum ex ſcholiis margini adſcriptis verba quædam in ipſum (vt vocamus) textum irreperent. Cuius rei inſigne & manifeſtum habere nos exemplum puto in iſto Bacchidum loco, Actus 3, ſc. 3,

Nũc experiar ſit ne acetũ tibi cor acre in pe- [*ctore.*

Aut enim valde fallor, aut verba hæc *cor acre*, quum margini expoſitionis cauſa adſcripta eſſent, ipſius poetæ verbis inſerta fuerunt. Confirmat certè meã coniecturã, aut ſaltem facit pro ea, locus hic Pſeudoli,

Ecquid habet is homo aceti in pectore? CH. *Atque acidiſſimi.*

Quædam verò ſunt quæ ſi ad grammaticorum regulas exigamus, pro deprauatis habebimus, quum tamen ita eſſe ſcripta ab ipſo poeta conſtet. Ex illis eſt *Abſente nobis*, pro *Abſentibus nobis*, in Amphitruone. A quo loquẽdi genere, licet valde abſurdũ videri poſsit, ne Terẽtius quidẽ abhorruit.

Sed Latinitas Plautina eiuſmodi eſt, vt etiamſi omnes mendæ ex eius comœdiis tollãtur, infinita remãſura ſint quæ negotiũ nouis lectorib' faceſſant. Ex his autẽ pleraq; cum aliis priſcis ſcriptoribus communia, quædam etiam ſibi pecu

liaria habet. Eorũ quæ communia eſſe dico, maximã grãmatici partem poſſint ſuppeditare, illi inquam grammatici qui de verborum veterum ſignificationibus ſcripſerunt: ideóque lectorem quibuſdam monitis, quæ illum cautiorem reddant, inſtructurus, in iis potius immorabor, quæ Plauti, aut ſi non eius tantùm, at certè magis eius quàm aliorum fuiſſe videntur. id eſt, quorum vſu illum magis quàm cæteros delectatum, mihi fit veriſimile. Fieri tamen non poterit, quin aliqua eorum etiã quæ tradita ſunt ab illis quos dixi, attingam: ſed quorum illi ſigillatim, ego generatim mentionem faciam.

Quòd ſi à ſcriptura initium ſumẽdũ eſt, *o* pro *u*, vt *ſeruos* pro *ſeruus*, & *volt* pro *vult*, ſæpe in hoc ſcriptore, ſicut & apud alios veteres, inueniri ſciat: vnde etiã natos eſſe errores, in ſuperiorib⁹ docui. Præterea literam *t* pro *ſ* in verbo *Pultare* inueniet. cuius meminit Fabius, ſicut & verbi *Mertare*. De inſertione autẽ literæ *d*, in meo de Latinitate falsò ſuſpecta libello, cui hic adiunctus eſt, dictum à me fuit, pag. 169, vbi *ted* pro *te*, & *med* pro *me*, ſequẽte vocali, atque alia habes. Addere autem illis potes *medecũ*, & *poſtidea*. Pronomina autẽ, præter illas adiectiones notas, ſyllabæ *æ*: (vt in

Hicæ,*huiuſce*,&c.vnde *hiccine*:necnon ſyllabæ *met*,in *Egomet*,*Tumet*) habent quandam in nonnullis huius libri locis,non itidem vulgarem,ſyllabæ *pſe*, in *Eapſe*,& *eampſe*:vt in Pœnulo,Act.1,ſc.2, *Propudium*,*quaſi bella ſit*,*quaſi eampſe reges ductitent.* Quinetiam particulã *dum* alicubi adiici moneo. nam vt *Iteradum* antea vidiſti,ſic etiã *pultadum* in Moſtellaria legitur -- *pultadum fores.* & paulo pòſt, *euocadum aliquem foras.* Eſſe autẽ videtur ea ipſa vocula qua Plauti etiam poſteri vſi ſunt, quum dixerunt *agedum* pro eo quod Græci ἄγε δή. Sed alicubi ſic verbis iuncta reperitur vt cohæreat,alicubi ſeparata ab illis inuenitur. Atque vt voces quarum à me facta fuit men tio videri nouæ poſſunt ob literæ mutatio nem,& quædam ob literæ,quædam ob ſyl labæ aut voculæ alicuius adiectionem, ſic etiam nonnullæ ob ſyncopen: vt *ſiris* pro *ſiueris*,in Epid. Act.3,ſc.3.

Sed præter hæc inuenturus alia eſt nouus lector,& quidem varia, quæ miretur, tam in Nominibus quàm in Verbis. In quibuſdam Nominibus aliam quàm vulgò terminationem,vt in *Voluptabilis*,*Incogitabilis*:item *Amicabilis*, *Ignorabilis*,*Impetrabilis*:& quidem data etiam alia ſignificatione nonnullis quàm eius poſteri dederint. Quibus addi poteſt *Vtibile*.Item in alio ter

minationis genere, *Ridicularia*, *Præſentaria*, *Manifeſtaria res*, *Subitaria*. Eandémq; in adiectiuis terminationem inueniet, quæ ex omnimodis ſubſtantiuis facta ſunt: vt *Theſaurarij fures*, & *Aurarium negotium*, & *Argentaria inopia*, ſicut *argentariam curam* dixit Terentius. Subſtantiua etiam quædam mirabitur: ex quibus eſt *Cruciabilitas*. & in quibuſdam alioqui vſitatis numeri pluralis vſum, vt *Inſatietates*, *Induſtriæ*: quinetiam in illo ipſo quod poſſe mirum videri modò dixi. nam & *cruciabilitates* numero multitudinis dicit. Nouus illi videbitur & ſuperlatiui gradus in quibuſdam ſubſtantiuis vſus: præſertim quum eorum nonnulla ne poſitiuum quidem (vt vocant) alibi vſitatum habeant. Legimus enim apud eũ *Verberabiliſſimus*, in Aulularia, Act. 4, ſc. 4, item *Spiſſigradiſſimus*, in Pœnulo: & quibuſdam aliis locis (quos memoria mihi non deſignat) *Ociſſimus*, & *Excluſiſſimus*: quæ quòd ex participiis facta ſint, magis etiam mira videri queunt. At de *Oculiſſimus*, quod ex nomine factum eſt (& pro quo legitur etiam *occluſiſſimus* quodam in loco) dicendum & alibi erit. Nec verò minus inſo-

fœminini generis vetuſtatem attuli, quæ noua videri poterit (ſunt enim vetuſtiſsima quoque, illis noua quibus ſunt inaudita) ſic etiam cuiuſdam nouitatis exempla in nõnullis neutrius generis ſubſtantiuis, priſcæ linguæ, & Plautinæ præſertim, vſitatis, proferam. Talia autem ſunt, *Deſidiabulum* & *Mendicabulum*, necnon *Diſpoliabulum*. Horum primum illud in Bacchid. legitur, Actus 3, ſc. 1,

Egóne ut hæc cõcluſa geſtẽ clãculũ? ut cælẽ patrẽ,
Piſtoclere, tua flagitia, aut damna, aut deſidiabula?

Mendicabulum autem extat in Aulularia,

-- nam iſtos reges cæteros
Memorare nolo, hominum mendicabula.

At verò *Diſpoliabula* puto in quibuſdã cod. legi eo ipſo in loco, vnde paulo antè attuli *Deſidiabula*. Obſeruandũ eſt autẽ alium vſum his & aliis huiuſmodi nominibus dari quàm vulgò habeant, quũ nec locũ ſignificent (vt *Proſtibulum* de loco etiã dici exiſtimatur) nec inſtrumentum, vt *Venabulum*.

De diuerſa quorundam declinatione mentionem nullã feci, nec de iis quæ hîc ex priſci itidem ſermonis regula, alio genere efferuntur (cuiuſmodi ſunt, *Aruus*, *Tergus*, & *Dorſus*) quum apud grãmaticos ſparſim ſaltem inueniantur. Ad eoſdem verò, non ſolùm ad diſcendam priſcam quorũ-

dam nobis vſitatorum ſignificationẽ (cuiuſmodi ſunt, *Aſſiduus*, *Superſtitioſus*, *Factio*, & *Factioſus*, necnon *Senium*) ſed etiam aliorum quæ prorſus obſoleuerunt (cuiuſmodi ſunt, *Diuidia*, *Cordolium*, *Titiuilitium* vel *Textiulitium*, *Lamberare*, *Simitu*) lectorem remittendum cenſui. Sed quantum ad vocem *Latrones* attinet, hoc celare illum nolui, idem ei vſuueniſſe quod Gallicæ *ruſtres*. quum enim priſca Gallorum lingua quoddã militũ genus appellaret *ruſtres*, poſtea de iis dici cœpit qui tali ingenio præditi ſunt vt illorum plerique latrones euadant.

De hoc quoque monebo, nomina nonnulla eſſe quæ priſci Latini ſecus ſcripſerint, non ſolùm ea quibus in alio genere, aut etiam alia declinatione vtebantur (veluti quum *Arnus* & *Dorſus* & *AEuus*, & *Gutturem* dicebant: item *Solæ* & *Aliæ* in dandi caſu pro noſtris *Soli* & *Alij*) ſed genus & declinationẽ retinẽdo. Ex eorum autẽ numero eſt *Vaciuus* pro *Vacuus*: in Pſeudolo,

Fac ſis uaciuas Pſeudole ædes aurium.

Dum autem mutati generis mentionem obiter facerem recordatus ſum nominis

ctiua quæ nunc genitiuo iungantur, olim ablatiuo iuncta fuiſſe. Ex illis autem eſt *Expers*. vt in Amphitruone,

Eo more expertem te factam aduenienſ offendi domi.

Atque hac conſtruct ione non antiqui ſolùm ſcriptores, ſed ex antiquariis etiam nonnulli ſunt vſi.

Ad Verba ex Nominibus iam nunc tranſeundum eſſe cenſeo: ne,ſi de his pergam dicere (vt certè multa dícenda reſtant) quum mihi parum & temporis & loci ſuperſit, illa,portione ſibi debita, quod ad tractationem attinet, fraudare cogar: præſertim quum hanc longè illa prolixiorem eſſe neceſſe ſit. Quanuis autem multa huc pertinentia mihi in mentem non veniant, tamen vel ea quæ ſuccurrunt, quomodo in tam anguſtum ſpatium contrahere (pars enim eius etiam ſpatii quod reliquũ eſt, alii ſermoni ſeruanda eſt) & quomodo iis qui in comici huius lectione nõ tyrones ſunt ſed potius veterani, ſatiſſacere poſsim, neſcire me fateor. Verùm ſi nõ his, illis ſaltem, in quorum gratiam hæc ſcribuntur, vt à me ſatiſſiat operam dabo.

Mirabitur ergo tyro noſter (donec exercitatus fuerit) actiuam vocem in quibuſdã verbis quibus nos in paſsiua tantùm vtimur. vt in *Cõtẽplare* & in *Ludificare*: quorũ

hoc in Merc. illud in Milite legitur, itidémq; *Venerare*, & *Arbitrare*. Mirabitur & quoſdam infinitiuos, cuiuſmodi eſt *Expugnaſſere*, in Amph. quod pro Expugnaturum eſſe, poſitum exiſtimatur. Mirabitur fortaſſis & ſyncopas: qualis eſt illa cuius antea mentionem feci, in *Siris* pro *Siueris*. Cui ſimile eſt *Adiuro* pro *Adiuuero*, in illo Ennii verſu, *O Tite, ſiquid ego adiuro, curámue leuaſſo*. (vbi vide etiam *Leuaſſo*, vt huic ſimilia obſerues. Mendoſè certè *Dicaſſis* in Curculione legitur, pro *Dicax ſis*: ſicut alibi *Subdolaſſis* pro *Subdola ſis*.) At verò *Faxo* & *Dixo* minus noua illi fuerint.

Mirabitur etiam paſsim compoſita verba pro ſimplicibus poſita, & quidem non eiuſmodi qualia ſunt ea quibus & nos ſimpliciũ loco vtimur: ſed *Aſtare* pro *Stare*, & *Afformidare* pro *Formidare*, *Concaſtigare* pro *Caſtigare*, *Cõcceſſare* pro *Ceſſare*, *Conſuadere* pro *Suadere*: necnon *Condonare* pro *Donare*. Viciſsim aliqua ſimplicia pro compoſitis: vt *Soluere aliquem*, non vno in loco, pro Abſoluere, & à ſe dimittere, perſoluto illi eo quod debebatur.

Nec dubito quin mirus ei futurus ſit &

Paritare pro *Parare*,in Mercatore. At verò *Quæritare* & *Negitare*, alicubi pro primitiuis poſita eſſe, alicubi etiã frequẽtatiuorũ ſignificationem retinere videri poſſunt.

Quinetiã nonnulla verba quibus poſteri (præter quoſdã antiquarios)tanquã neutris vſi ſunt, accuſatiuo iuncta inueniet, & quidẽ nõnulla accuſatiuo pronominis. vt *Penetrare ſe* pro *Penetrare*.

Magis etiam quædã ex imperſon. facta perſonalia,vt *Pœniteo* & *Pudeo*,mirabitur.

Præſertim verò cõſtructiones quædam admirationẽ illi mouere poterunt. Siquidẽ non ſolùm *Fungi* & *Potiri* & *Frui* accuſatiuo hîc iunguntur (quas cõſtructiones Terentius planè nouas eſſe non ſinit) ſed etiã *Conuenit*:vt *AEtatem aliam aliud factum conuenit*,in Mercatore. Inueniet præterea *Faſtidit mei*.Et,*Rebus curem publicis*,in Trin. Quinetiam *Orare cum aliquo* pro *Orare aliquem*,in Curculione & Caſina.

Partivm cæterarum orationis vſum (id eſt,quæ priſca ſcriptoris huius Latinitas ſibi peculiaria in earũ vſu habeat) examinare non vacat:alioqui in Pronomine cùm alia obſeruanda proponerẽ,tum verò voculæ *ſibi*,,necnon vocularum,*me*,*te*,& *ſe* pleonaſmũ, & voculæ *ille* emphaſim. In Præpoſitionũ etiam quarundã necnõ aliarum particularũ vſu,nonnulla obſeruatio-

ne digna afferrẽ,ac præſertim de particula *quod* præmonerẽ:quinetiã de multis & loquendi generibus & vocibus lepidiſsimè à Plauto confictis (cuiuſmodi ſunt *Bibeſia* & *Peredia*,itẽ *Vlmitriba*,& *Pultiphagus*, necnon *Fuſtitudinæ ferricrepidinæ inſulæ*) necnon de multis locis agerẽ,in quibus ex ambiguo vocis alicuius vſu iocatur: nec de quibuſdã locis quos poſteri Plauti ſcriptores imitati eſſe videntur,tacerẽ:ſed hæc alii loco & tẽpori reſeruare, & tractatum hũc breui de helleniſmis huius comici ſermone claudere neceſſe habeo.

Antequã tamẽ ad helleniſmos veniã, lectorẽ monebo quædã in palliatis comœdiis ſecus dici quàm in togatis dicerentur. veluti quũ Romani ſeu generalius Latini vocantur *barbari*,Græcorũ arrogantiã imitãdo.ſic *barbarica lex*,pro Romana.quũ itẽ *philippeorũ* non ſeſtertiorũ fit mentio. Sic etiã vbi voces *machæra* & *phylaca* vſurpantur:vbi deniq; alia quæ ſuũ nõ minus apud Latinos quàm apud Græcos nomẽ habẽt, Græcè appellãtur (quædã enim ad res Græcis quodammodo peculiares pertinentia, vt magiſtratuum nomina, *Agoranomus*, *De-*

nomina vix niſi petita venia Latinis commutabantur. Quũ autẽ palliatæ comœdiæ in pleriſq; rebus ſolerẽt ἑλληνίζειν, nõ mirũ eſt rariores etiã quoſdã helleniſmos in earũ ſermone reperiri: adeo quidẽ vt & negatio duplex pro vna Græcorũ more poſita inueniatur. quem helleniſmum ſi & in illo Terentii loco agnoſcamus, *Faciunt ne intelligendo ut nihil intelligant*, multo expeditior hæc via quàm alia vlla fuerit.

Nomini *res* datur alicubi ſignificatio Græci χρῆμα: qualis apud Ariſtoph. eſt, τὸ χρῆμα τῆς νυκτός. Item *Plures*, ita dicitur vt οἱ πλείονες, de mortuis. Necnon *Tantum eſt*, vt τοσοῦτόν ἐστι, pro Nihil vltra. Itẽ duob[9] verbis *Dignum habeo* iũctis infinitiuo, exprimitur ἀξιῶ. alicubi autem *Dignũ arbitror* dicit. *Vti pari fortuna* eſt ὁμοίᾳ χρῆσθαι τύχῃ. Necnõ hîc *Te utar iniquiore* repræſentatur vſus verbi χρῆσθαι. Itẽ hæc verba, *Dico tibi*, cõpellãdo eũ qui nõ audire aut etiã diſsimulare videtur ſe audire, imitantur Græca λέγω σοι. Neque verò hoc, *Dij immortales mercimonii lepidi!* in Moſtell. aliter dictũ eſt quàm, ὦ Ζεῦ τοῦ λεπτότητος τῶν φρενῶν. Nec *Malè formido* ſecus quàm κακῶς δέδια. Sic in his, *pulchram pulchrè* audimus Græca καλὴν καλῶς. & in his, *Peſſimorũ peſſime*, iſta, κακίστων κάκιστε. Nec dubitat *magis dulcius* ita dicere vt Græcum μᾶλλον interdum comparatiuo iungitur.

FINIS.